OBSERVATIONES

IN

RUTILII CLAUDII NAMATIANI

CARMEN DE REDITU SUO.

SCRIPSIT

AUG. WILH. ZUMPTIUS Dr.

BEROLINI, MDCCCXXXVII.

SUMPTIBUS FERDIN. DÜMMLERI.



CAR. TIMOTH. ZUMPTIO

PATRUO CARISSIMO

AMORIS AC PIETATIS DOCUMENTUM

DEDICAVIT

A. W. ZUMPTIUS.

Quae de Rutilio Claudio Namatiano, inferioris latinitatis non ineleganti poëta, ejusque vita scimus, pauca admodum sunt, eaque omnia ex ipsius carmine sumenda. Quae aliunde petuntur, adeo sunt incerta, ut vel de *ipso nomine poëtae*, quod in inscriptione libri legitur, multis modis ambigatur. Etenim invaluit jam quidem mos, ut Claudius Rutilius Numatianus vocetur, Castalionis maxime auctoritate, qui primus diligentissime et haud scio an felicissime recensuit, eumque, qui deinde poëtam ediderunt, secuti sunt. Sed priores editores eo differunt, quod Rutilium Claudium appellant, eumque nominum ordinem, quoniam majorem habet auctoritatem, restituendum esse censeo. Neque enim causam video, cur Claudium praeponi velis Rutilio, nec attulerunt, qui praeposuerunt. Nam pro causa certe haberi non poterit, quod Wernsdorfius profitetur, exemplum vel argumentum ejus mutationis non potuisse se quidem invenire ullum, at non dubitasse tamen prioribus editoribus, qui sine dubio ratione vel auctoritate aliqua moti nomina transposuerint, obsequi. Opinor autem correxisse Castalionem, quod Claudii nomen, cum proprie gentilicium esset, postea in praenomen abisse norat, idemque num in Rutilii nomine factum esset, dubitabat. Sed alio potius modo tota ratio expedienda est. Poëta, ut moris erat sub imperatoribus, duo nomina gentilicia habebat, unum Rutilii, alterum Claudii, praenomine, quod usurpari jam dudum desierat, vel carebat omnino vel non utebatur *). Utro autem ordine nomina illa collocentur, nihil interest.

*) Hinc enim factum, ut Claudii nomen, quoniam deerat praenomen, ipsum videretur in praenomen abire. Similis erat res, si duo erant nomina gentilicia. Brevius, quam debebat, de his rebus disputat Kannegieterus de mutata nominum Romanorum sub principibus ratione p. 7. sqq.

En exemplum. Infra §. XXI rerum series nos ducet ad Cejonios Rufios Volusianos, quorum nomina constanter fere hoc modo ponuntur; sed ap. Muratorium Inscript. p. 387, 2 invenitur unus de ea familia, qui Rufius Cejonius Volusianus appellatur. Quare Castalio, quamquam non errat, si poëtam Claudium Rutilium nominat, discedit tamen ab eo, quod est traditum (nam novis codicibus ipse non usus est), ex quo solo, qui in quaque familia nominum ordo usitatus fuerit, cognosci potest. Sequitur Numatiani nomen, quod addi solet Rutilio, in quo non inter duas rationes ambigue haerendum, sed in una, tanquam veriore, inhaerendum esse opinor. Raphaël Volaterranus *), qui primus inventum anno 1494 in coenobio Bobbiano carmen Rutilii commemorat, Rutilii Naumatiani vocat. Sed hoc nomen codicis, opinor, errore ortum, inauditum omnino et recte postea mutatum est. Vetustissima editio Bononiensis, quae sola auctoritatem habet **), nominat Numatianum, quod a plerisque receptum jam in communem omnium usum et notitiam abiit. Summontius ***) denique, secundus fere, quiR utilii mentionem faciat, discrepat; a caeteris et appellat Rutilium Namatianum. Quae si accuratius considerantur, rejecto Naumatiano jam et Numatiani et Namatiani nomen ab aeque bonis auctoribus nobis traditum esse apparet. Etenim cum codex, quem Volaterranus expressit, haberet Naumatianus, inde, qui curavit editionem Bononiensem, poëtae nomen dedit Numatiano, Summontius Namatiano. Ex quibus utrum sit eligendum, aliunde decernendum est. Et ea quidem argumenta, quibus Numatianus

---

*) In Comment. urban. lib. IV. extr. fol. 45. ed. Basil. 1530. Plura vide apud Wernsdorfium prooem. ad Rutilii carmen (Poëtae latini minores T. V. P. I. p. 40).

**) Ceteri enim editores praeter Onuphrium Panvinium, qui uno fortasse loco codicem contulit, hoc exemplum sequuntur. Vide Wernsdorfium prooem. p. 51.

***) In praefatione ad Joviani Pontani dialogum, qui Actius inscribitur, Tom. II. operum Pontani p. 188. edit. Basil. 1538. Vide Wernsdorf. l. l.

nititur, exposuit Wernsdorfius prooem. p. 8. (Poëtae lat. min. T. v. P. 1). Inveniuntur enim in indice inscriptionum Gruteri A. Numatius Hermes, L. Numatius Augustalis, P. Numatius Cerealis, quibus probatur illud quidem extitisse aliquando Numatii nomen, sed et liberti illi fuisse videntur, nec his, quo Rutilius poëta, vixisse temporibus. Itaque, quoniam illa argumenta non satis firma esse apparebat, factum, ut Ger. Joh. Vossius de hist. lat. lib. III. 4. c. 2. p. 745 a gente celebriori Munatiorum Munatianum, Gesnerus in bibliotheca s. v. et Funccius de lect. auct. class. 3, 8. p. 36 Numantianum, Cuperus denique in observatt. 2, 6 p. 195 Numantinum dici mallent. Namatianus, quem Summontius tradidit, majore praesidio, quod ex ipsius poëtae carmine parari potest, firmatur. Rutilius enim (lib. 1, 563) narrat se magistrum officiorum fuisse, qua de re infra uberius exponemus. Atqui in codice Theodosiano 6, 27, 15 est lex Honorii et Theodosii A. A. a. d. VII. Id. Dec. anni 412 p. Chr. data ad Namatium, magistrum officiorum. Rarum erat illis temporibus nec multis commune Namatii nomen; etenim nulla ejus vel in inscriptionibus vel alias extat memoria. Quid igitur impedit, quominus Rutilium Claudium poëtam putemus esse eum ipsum magistrum officiorum, cujus ibi mentio fit? Tempus et caetera, quae de vita poëtae nota sunt, optime conveniunt. Quaeris tamen, qui fieri possit, cum alteri nomen Namatio, alteri Namatiano sit. At codex Theodosianus, quoniam Rutilii editionum certior videtur esse auctoritas, est emendandus nec difficilis haec vel *) inusitata codici emendatio. Neque repugnabo, si quis inscriptionem legis, quae est in codice Theodosiano, servari voluerit, emendari

*) Ecce similis mutationis exemplum. In fastis anno 413 legitur Lucius consul, quem eundem Prosper Aquitanus in chronico nominat Lucianum. Sed Lucius propter consensum ceterorum praeferendum est. Confer praeterea interpretes ad Cic. in Verr. 3, 21 et Epp. 13, 76. In codice autem Theodosiano multa cum in aliis tum in nominibus emendanda esse ex innumeris exemplis patet.

potius nomen poëtae, in quo cum sit corrigendum, plus an minus corrigas non multum interest. Etenim etiam alium Namatium, episcopum Avernorum, commemorat Gregorius Turonensis hist. Francorum 2, 16 et 17 et 20, amicum Sidonii Apollinaris, qui ei scripsit epistolam (Epp. lib. 8, 6.). Eundem esse arbitror, cujus memoria extat in epitaphio apud du Chesnium (historiae Francorum scriptores coëtanei Vol. I. p. 546), ubi honores et divitias, quae antea habuerat, abjecisse et septuaginta tres annos natus circa ann. 480 mortuus esse narratur. De eo enim hi versus:

> Qui cum jura daret commissis urbibus amplis,
> Adjuncta pietate modis justissima sanxit,
> Patricius, praesul *), patriae rectorque vocatus,

et paulo post de eodem:

> Nobilis eloquiis et stemmate nobilis alto,
> Nobilior meritis et vitae clarior actu.

Quem si pro filio vel cognato Rutilii poëtae habueris, poteris recte conjecisse, si negaveris, nescio quid contra dici possit. Sed, utut haec omnia, quae ob mancam cognitionem aetatis illius expediri nequeunt, accipies, hoc saltem constat, Numatiani nomen rejiciendum esse. Itaque poëtam, ne editionum Rutilii auctoritatem omnino deseruisse videamur, Namatianum appellabimus.

II.

De patria sua saepius poëta loquitur. Praecipuus locus est lib. 1, 19:

> At mea dilectis fortuna revellitur oris
> Indigenamque suum Gallica rura vocant.

Itaque inscriptiones antiquissimarum editionum, ubi honores ejus enumerant, eum Gallum vocant, et Volaterranus loco supra laudato nominat Gallum poëtam. Et hoc qui-

---

*) Urbis Romae, opinor. Vide, quae infra de praefecto urbis Romae disputavimus §. V. Ceterum obscura sunt haec verba, sive quod mendum inest, sive ob orationis pravitatem. Sed emendare nolui.

dem certum. Sed ex qua provincia vel urbe fuerit, dubium est. Audiatur Wernsdorfius: „Alii Tolosam, alii Pictavium ei patriam assignant. Praeferendam alteri sententiam videri eam, quae Pictavium nominet, affirmant monachi Benedictini Mauriani in historia literaria Galliae T. II. p. 70 probantque ex lib. 1, 208, ubi Palladium, qui Pictaviensis fuit, spem et decus generis sui vocat." Quae non satis accurate disputata esse apparet. Nam etiam causam afferunt Benedictini illi, cur Namatianum pro Tolosano haberi posse putent, quippe qui Victorinum, quem ex ea urbe oriundum fuisse constat *), in intima sua amicitia numeret de eoque hos versus habeat lib. 1, 509:

Hunc ego complexus ventorum adversa fefelli,
Dum videor patriae jam mihi parte frui.

Ambigue tamen locutus est poëta; patriam enim et terram nominare potest et urbem. Igitur, modo Gallus esset, eandem cum Victorino habebat patriam. Neque vero audiendus, si qui forte ex iis ipsis, quae de Victorino narrantur, cum Tolosa a Gothis capta in Tusciam fugere coactum esse, conjiciat, Rutilium in urbem captam redire nequivisse. Etenim anno extremo 416, quo revertit, postquam Wallia, Gothorum rex, pace cum imperatore facta in Hispanias ad debellandos hostes imperii Romani abiit, ea quidem Galliarum pars per tres fere annos, donec Gothis tanquam militiae praemium propriae sedes in Aquitania secunda et Novempopulonia datae, ejusque regni Tolosa caput quasi factum est, pacata et libera ab hostium violentia erat. Itaque et Victorinus et Namatianus in patriam redire poterant. Atque, si quid dicendum est, pro Tolosano aptissime habebis poëtam, quo ut etiam magis inclinem, faciunt ea, quae ipse de patria sua regione narrat lib. 1, 20—34 **), eam extremas quasque miserias a barbaris perpessam esse, unde novissimarum populationum mentionem fieri colligi licet. Nulla autem pars Galliae vel aeque magnam cla-

*) Confer, quae infra de Victorino disseruimus §. XX.
**) Plura de hac barbarorum depopulatione diximus §. XX.

dem a barbarorum vastationibus acceperat, vel tam recenti memoria ab iisdem petita erat, quam haec a Gothis duce Athaulpho. Obloquor igitur Benedictinis, qui Namatianum Pictaviensem fuisse putant. Quod quidem mira fide et probatum est Wernsdorfio et ita pro certo habitum, ut adeo in eorum usum, qui compendiose historiam literarum Romanarum tradunt, abierit. Causam quidem addit Wernsdorfius, quod Palladius, cognatus poëtae, Pictaviensis fuerit. Sed in hoc ipso Palladio mirifice eludit nostram curiositatem. Ubi enim de eo agendum est, remittimur ad alium locum, quo plenius de eo dicturus sit. Quid igitur ibi? Nihil hercle, nisi hoc, nihil de eo posse dici. At enim manavit error ab Exuperantio, patre Palladii, de quo quae statuenda esse videantur, infra §. XVI exposuimus. Quae cum ita sint, hoc efficitur, ut Namatianus Gallus fuerit; ex qua urbe genus duxerit cum incertum sit, Tolosanum fuisse conjectura probabili assequimur.

III.

Sequitur, *quando Namatianus vixerit.* Quo anno vel natus vel mortuus sit, quoniam nihil ea de re nec alibi nec apud ipsum narratur, dici nequit. Possit quidem ex multis rebus, quarum mentionem facit, colligi eum initio saeculi quinti vixisse et carmen scripsisse post annum 412. Quas multas videbis in iis, quae postea disputabimus. Sed longe accuratius indicium apud ipsum invenitur. Postquam enim multa de splendore et magnitudine Romae dixit, eamque saepe victam victricem tamen semper fuisse ait, urbem alloquens haec verba habet lib. 1, 133:

> Porrige victuras Romana in saecula leges,
> Solaque fatales non vereare colos,
> Quamvis sedecies et mille peractis
> Annus praeterea jam tibi nonus eat.

Carmen igitur Namatianus scripsit anno ab urbe condita 1169. At hic annus quotus est a Christo nato? Differt enim numerus, si Catonianam ac si Varronianam rationem adhibeas. Itaque ambigitur a viris doctis. Onuphrius Pan-

vinius in praefatione ad carmen Rutilii, Vossius de historicis latinis III. c. 4, 2, Funccius de vegeta lat. ling. senect. c. 3. §. 79. p. 260, Wernsdorfius denique secundum Catonem anno 417 a Chr. poëtam scripsisse vel Roma profectum esse *) putant, moti illi maxime eo, quod, cum narret, in itinere sibi nuntiatum esse praefecturam urbis Rufio cuidam Volusiano esse delatam, quia annum extremum 416 post Chr., qui est millesimus centesimus undeseptuagesimus ab U. secundum Varronem, a Probiano, praefecto urbis, qui in Cod. Theod. 14, 10, 4 commemoratur, occupatum videbant, nullum alium annum superesse putarent. Sed videant, ne ille ipse Rufius Volusianus, quem amovisse sibi videntur, iis maximas angustias paret. Etenim cum constet poëtam autumno iter suscepisse idque et ipsi concedant, Rufius praefectus jam extremo anno 417 et anno 418 collocandus erit. Atqui annus 418 p. Ch. simulque, qui insequitur, a Symmacho praefecto urbi occupatur, id quod ex relatione **) hujus Symmachi praefecti urbis ad Honorium Augustum Ravennae constitutum a. d. IV. Cal. Jan. scripta, qua de tumultu post Zosimi episcopi mortem anno 418 exeunte excitato ad imperatorem refert, apparet. Jam non est, ubi Volusianum ponas. Quomodo autem ea difficultas, quae oritur, si anno 416 iter Namatiani collocas, amoveri possit, infra §. VI exposuimus ***).

*) Hoc enim ad idem redit. Sive enim Namatianus in ipso itinere scripsit, id quod, quoniam multum temporis in proficiscendo consumpsit, accipi potest, sive domum reversus carmen composuit, omnia tamen, quae narrat, ad tempus itineris retulit.

**) Ni magnopere fallor, haec relatio una cum epistolis et decreto Honorii legitur in editione Symmachi, quam curavit Pareus. De Symmacho autem, praefecto urbis, vide praeterea Corsinum in serie praefectorum urbis (Pisis 1766) p. 338.

***) Tillemontius (in historia imperat. Rom. not. 43. ad. Hon. Tom. V. p. 820 editionis secundae Parisinae) etiam alias res movet. Volusianum enim, quem poëta commemorat, eum esse putat, quem scimus anno 421 urbi praefuisse, porro Exuperantium, qui Aremoricis imperare narratur (lib. 1, 213), esse eundem, quem Prosper Aquitanus

Redeundum igitur est ad rationem Varronianam, quae usitatior omnino Romanis erat. Et de hac sola in verbis poëtae cogitandum esse ex certis quibusdam signis probavit Scaliger in prooemio ad Eusebii chronicon. Etenim Namatianus ipse tempus, quo Roma abierit, accuratius definit lib. 1, 183:

Et jam nocturnis spatium laxaverat horis
Phoebus Chelarum pallidiore polo

i. e. jam Phoebus noctes longiores fecerat quam dies, et jam in signum Librae sive Chelarum transgressus pallescere inceperat. Accidit autem hoc, ut notum est, post aequinoctium autumnale. Hoc igitur tempore poëta Roma ipsa relicta portum Ostiensem petiit ibique aliquamdiu commoratus est. Lib. 1, 205:

Explorata fides pelagi ter quinque diebus,
Dum melior lunae fideret aura novae.

Quinto decimo igitur die, postquam in portum pervenit, novilunium evenit. Hoc autem, quod quindecim diebus post aequinoctium autumnale novilunium est, in solum annum 416, non item in annum 417 convenit. Jam, dum accuratius etiam diem, quo Namatianus Roma abierit, finire volunt, dissentiunt Scaliger l. l. et Corsinus in serie praefectorum urbis p. 330. Et Scaliger quidem nititur novilunio illo et aequinoctio autumnali. Quorum illud cum anno 416 in a. d. VII. Id. Oct. ceciderit, si quindecim dies, per quos poëta in portu meliorem ventum exspectabat, detrahas, effici a. d. VIII. Cal. Oct. Roma eum profectum esse, eoque die Columellam 11, 2 et Plinium hist. nat. 18, 30 et aequinoctium autumnale ponere et solis ingressum in Libram sive Chelas *) notare. Accedit vero etiam aliud indicium, unde de tempore itineris conjicere

in chronico anno 425 in Galliis occisum esse tradit. Itaque inter multorum annorum spatium ambigit. Sed de illa re diximus infra §. XXII.; de hac §. XVI.

*) Vide de commutatione horum signorum Ovid. Met. 2, 195 et Macrob. Somn. Scip. 1, 18.

possis. Poëta enim, ubi describit, quid in portu egerit, addit se clamorem ludorum Circensium audisse, lib. 1, 201:

Saepius attonitae resonant Circensibus aures,
Nuntiat accensus plena theatra favor.
Pulsato notae redduntur ab aethere voces,
Vel quia perveniunt vel quia fingit amor.

Hoc item in a. d. VIII. Cal. Oct. congruere Scaliger ait, quippe quo die postremi ludi Circenses in calendariis indicentur. Corsinus vero objicit illi, quod calendario, cujus Namatiani tempore non amplius usus fuerit, nitatur, adhibendum esse potius id, quod ex Constantii temporibus nobis servatum sit *). In hoc autem ingressum solis in Libram notari in a. d. XII. Cal. Oct. et duobus diebus, qui insequuntur, collocari ludos, quorum ad a. d. VIII. Cal. Oct. nulla mentio fiat. Itaque Namatianum a. d. XI. vel X. Cal. Oct. Roma abisse et usque ad ipsas Nonas Oct. in portu mansisse, quibus vere novilunium eo anno acciderit. At haud scio tamen, an uterque in novilunii ratione decipiatur, quod, quantum equidem computare potuerim, eo anno in a. d. VIII. Id. Oct. accidit **). Sed in discessus die assentiendum est Corsino. Itaque si poëta inde ab a. d. X. Cal. Oct. quindecim dies in portu commoratus sexto decimo abiit (ita enim ejus verba intelligi licet), efficitur, ut a. d. VIII. Id. Oct. portum reliquerit. Eum autem versum, qui de aequinoctio autumnali agit, si jam dies aliquot, ex quo solem in libram transgressum esse poëta putaret, praeterisse statueris, etiam aptius interpretari poteris.

Restat, ut videamus, quantum temporis Namatianus

---

*) Dixit ille sine dubio id, quod inveni in Graevii thesauro antiquitatum Romanarum Tom. VIII. p. 95. sqq. Est autem hoc compositum sub Constantio, imperatoris Constantini filio, circa annum 354 et Valentino cuidam dedicatum.

**) Effeci autem rationem meam ex tabula, quam in hunc usum proponit Idelerus in libro de chronologia mathematica et technica Vol. II. p. 196. Etiam aequinoctii tempus si ex simili ratione definis, incidit in a. d. IX. Cal. Oct.

in itinere consumpsisse videatur. Conjicere hac de re licet ex iis, quae narrat, dum, quid Triturritae egerit, exponit lib. 1, 633:

Jam matutinis Hyades occasibus udae,
Jam latet hiberno conditus imbre Lepus.

Matutinum autem occasum Hyadum Columella 11, 2 ponit in a. d. XI. Cal. Dec.; mox Lepus mane occidit eodem teste. Itaque, quamvis ipse sileat, apparet tamen poëtam tres fere menses in reditu consumpsisse et opinor eum maxime Pisis commoratum esse *). Sunt etiam alia verba, unde de tempore navigationis (mari enim usus est) conjecturam fieri posse putes. Cum enim Faleriam appulisset, rusticos dies festos Osiridis celebrantes invenit lib. 1, 375:

Et tum forte hilares per compita rustica pagi
Mulcebant sacris pectora fessa jocis.
Illo quippe die tandem renovatus Osiris
Excitat in fruges germina laeta novas.

Sed in nullo calendario dies festos Osiridis adnotatos inveni, et, si ipsam rem consideras, nullum certum diem esse potuisse apparet, quippe cum in aliis regionibus alio tempore Osiris i. e. Sol germina laeta in novas fruges excitet. Ceterum animadverte, quod *sacris jocis* rustici pectora fessa mulsisse dicuntur, id quod accurate accipiendum est. Neque enim tum, ut antiquitus moris fuerat, sacra fiebant vel reliqui ritus sacri in usu erant. Quod quidem jam dudum non amplius licebat. Est de his rebus lex Cod. Theod. 16, 10, 17 ab Honorio anno 399 data, qua festi conventus civium et communis omnium laetitia, etiam convivia festa ita permittuntur, ut nec sacra nec alios ritus adhiberi fas sit. Vide plura apud Gothofredum ad Cod. Theod. l. l. et ad 16, 10, 8.

IV.

Pervenimus jam ad ea, quae *de vita Namatiani* nota sint. Et antiquissimae quidem editiones, Bononiensis et

*) Multa enim de Pisis narrat, et amicos quosdam ibi se visisse ait. Vide lib. 1, 527 sqq.

Onuphriana longam seriem honorum, quibus functus fuerit, in fronte carminis ponunt. Nominant enim virum consularem, praefectorium urbis, tribunum militum, praefectum praetorio. Castalio, Sitzmannus, Burmannus repetunt hos titulos, nisi quod virum consularem omittunt et pro eo notas V. C. adhibent, pro praefectorio autem urbis praefectum dicunt. Sed jam Tillemontius *) et post eum Wernsdorfius observarunt, omnes has dignitates non tam ex verbis codicis, quam ex ipsius Namatiani carmine videri esse sumptas. Itaque ad hoc potius tanquam ad fontem opinionum virorum doctorum confugiendum erit. Duobus enim maxime locis poëta de se loquitur. En alterum. Postquam rediturus in patriam Castorem Pollucemque et Venerem invocavit, ut secundum sibi ventum darent, sic pergit lib. 1, 117:

Si non displicui, regerem cum jura Quirini,
Si colui sanctos consuluique patres.
Nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum,
Non sit praefecti gloria, sed populi.

Antiquiores editores, quod *regere jura Quirini* et *colere ac consulere patres,* priscis temporibus consulis fuisse scirent, idemque extrema rei publicae aetate valuisse arbitrarentur, in Namatiani dignitatibus consulatum posuerunt ipsumque virum consularem nominaverunt. Quoniam autem statim aperte praefecti mentionem fieri videbant, addiderunt praefectorium vel praefectum urbis. Sed Consul Rutilius sive Namatianus, ut observarunt Castalio in primis notis ad Rutilium et Barthius ad lib. 1, 137 et 157 nusquam legitur, nec nomen ejus in fastis reperitur. Itaque Onuphrius Panvinius in praefat. ad Rut. carmen et Funccius de vegeta lat. ling. senect. p. 260 eum consulem suffectum fuisse conjecerunt. Sed ne id quidem aliunde probari poterit, et toto hoc carmine consulatus nullum est vestigium. Acute igitur, ut solet, Tob. Dammius illam dignitatem ex errore ortam esse intellexit, cum antiquissimus editor, qui

---

*) In hist. imperat. Rom. not. 49. ad Honorium Tom. V p. 825.

in codice Rutilii nomini notas V. C. appositas reperiret, inde virum consularem faceret, ceteri, qui sequerentur, ei honori ex ipsius poëtae verbis praesidium quaererent. Etenim hae notae, quae virum clarissimum significant, cuivis, qui ad honoratiores dignitates pervenerat, addi solebant, neque obest, quod Rutilius, qui magister officiorum et praefectus urbi fuisset, proprie illustris, qui major erat gradus, vocabatur. Utrumque enim jungitur, ut ex innumeris inscriptionibus patet. Sequitur praefectorius urbis. Id quoque pariter vitiosum, certe in forma vocabuli, et contra usum veterum inscriptionum Wernsdorfius esse putat, quae viros praefectura functos non praefectorios, sed ex-praefecto vel ex-praefectos nominare soleant. Qua in re ita fallitur, ut merito tamen priores editores vituperaverit. Praefectorium enim vocat Sid. Apoll. Epp. 1, 7. *Interea legati provinciae Galliae Tonantius, Ferreolus praefectorius, Afranii Syagrii consulis ex filia nepos, Arvandum publico nomine insequuntur;* id 2, 9. *Ferreolo, praefectorio viro;* id 1, 9. *interea nos Paulli praefectorii officiis excolebamur;* Cod. Theod. 12, 12, 12. *exceptis praefectoriis;* Cassiod. Var. 6, 2. med. *patricius praefectorios et aliarum dignitatum viros praecedit*, ubi sine dubio ii dicuntur, qui funguntur praefectura. Simili modo dicitur etiam vir quaestorius, qui quaestor fuit, Sid. Apoll. Carm. 13 in epist. ad Polemium *). Vides igitur, recte Rutilium dici posse praefectorium vel virum praefectorium, non item praefectorium urbis.

---

*) Eandem dubitationem, quam de praefectorio, etiam de consulari viro movit Tillemontius Tom. V. p. 825. Dicendum enim esse putabat ex consule, quod consulares illa aetate vocabantur rectores provinciarum. Sed ad manum est exemplum apud Sid. Apoll. Carm. 13., ubi Magnus Felix nominatur vir consularis, quem ex ejusdem Sidonii epistolis (vide Savaronem ad 1, 11.; 2, 3.) et ex Cassiod. Var. 2, 3 constat fuisse consulem. Alterum exemplum habes apud Cassiod. Var. 6, 4, quem locum statim afferemus.

V.

Rectissime autem interpretes intellexerunt, omnibus illis verbis Namatiani solam significari praefecturam urbis. Quamquam non accurate Wernsdorfius dixit *) *regere jura Quirini* in solum urbis praefectum convenire. Symmachus certe Epp. 1, 1 in carmine, quamquam ut poëta, qui antiquam magis consulatus dignitatem, quam, quae tunc esset, respiceret, idem de consule dixisse videtur: *hic dixit jura Quiriti*. Sed verius sane hoc de praefecto urbis praedicatur, ad quem causae omnium civium et in urbe ipsa et intra centesimum ab urbe lapidem sive, ut Cassiodorus Var. 6, 4 ait, intra centesimam potestatem, deferebantur, et a quo, id quod fieri poterat in quibusdam causis, nisi ad imperatorem, non erat appellatio. Uberius hac de re exponunt Drakenborchius in libello de praefectis urbi c. 6. init. et Corsinus in praefat. ad seriem praef. urb. p. XXXV. De verbis, quae insequuntur:

Si colui sanctos consuluique patres,

longe spinosior est quaestio et quae testimoniis inter se pugnantibus turbari videatur. Etenim recentiores interpretes consentiunt illi quidem sermonem esse de eo, quod praefectus urbi praeerat senatui, sed hoc ipsum praeesse nondum satis est exploratum. Drakenborchius et Corsinus silent, tangit rem Savaro ad Sid. Apoll. Epp. 1, 9. p. 70 et 9, 16. p. 617 **), plenius de eadem disputat Gothofredus ad Cod. Theod. 6, 6, 1, sed ne is quidem ita, ut, quae ra-

---

*) Omnino autem errat Wernsdorfius, si affert Sid. Apoll. 7, 291 *intemerata mihi praefectus jura regebat*. Quae verba, si locum accuratius inspicias, ad praefectum praetorio pertinent. Nam is quoque, postquam Constantinus magnus totam ejus rationem mutavit, jurisdictionem habebat. Itaque Claudianus in Ruf. 2, 82 de eodem: *nec pudet Ausonios currus et jura regentem sumere deformes ritus vestemque Gabinam.*

**) Tangit item Philippus Berterius Pithanon Diatr. 1. c. 3. (in Everardi Ottonis thesauro juris Tom. IV. p. 811), sed praeter hunc ipsum Namatiani locum et alterum Symmachi nihil affert.

tio inter praefectum urbis et senatum intercesserit, eluceat. Immiscet enim quaestionem, num praefecti urbis dignitas potior fuerit quam consulis vel patricii. Quae quidem aperte sejungenda est, nec quisquam de ea dubitat. Praefuisse autem praefectum urbis senatui Romano testatur Cassiod. Var. 6, 4., ubi ab initio vocatur *senatus praesul,* deinde de eodem haec verba: *consides supra omnes scilicet consulares, sententiam primus dicis.* Simili modo Prudentius in Symmach. 1, 645 *jam quid Publicolas percurram carmine Gracchos jure potestatis fultos et in arce senatus praecipuos simulacra deum jussisse revelli.* Gracchus autem fuerat praef. urbi anno 377, vide Corsinum l. l. p. 264 *). Praeterea Sid. Apoll. Epp. 1, 9 praefectum urbis nominat *praefectum senatui* **); Anastasius Bibliothec. in Symmach. 52 de praefecto urbis: *primus in senatu sententiam dicebat.* Eodem respexit Claudian. Epithal. Pallad. et Celerinae v. 67

tenuit summae fastigia sedis
Eoum stabili moderatus jure senatum.

Gesnerus dubitat, ad quem referat, nec quidquam certi dicit. Aperte tamen fallitur, cum haec ad consulatum pertinere posse opinatur idque inde colligit, quod consulatus summa dignitas vocari soleat. Sed fastigia summae sedis refer potius ad senatum, cui praesidebat praefectus urbi in eoque re vera summam sedem tenebat ***). Omnibus his repugnare videtur lex codicis Theodosiani 6, 6, 1 a Gra-

---

*) Itaque rectissime idem Corsinus p. 252 Sextum Petronium Probum, quem Ausonius Epp. 16, 15 senatus praesulem vocat, praefectorum urbi fastis inscribendum esse censuit.

**) Si Sidonius Epp. 9, 16 carmine praefectum urbis describit, *qui patrum ac plebis simul unus olim jura gubernat*, hoc etiam ad judicium, quod cum de ceteris civibus, tum de senatoribus praefectus exercebat, referri poterit. Vide auctores, ad quos supra provocavi.

***) Neque fidem habeo interpretibus, qui Auson. Mosella 410 *quique caput rerum Romam populumque patresque tantum non primo rexit sub nomine*, de consulatu explicant. Majore jure haec ad praefectum urbi referri poterunt.

tiano, Valentiniano A. A. anno 382 data, in qua haec verba: *consulatus praeponendus est omnibus fastigiis dignitatum, in omni etiam curiae senatoriae actu, sententia, coetu.* Hinc colligit Gothofredus, consulem potius quam praefectum urbi senatui praefuisse et sententias rogasse senatores. Ait enim praefectum urbi iis quidem omnibus, qui intra urbem sint, magistratibus praeferri, ceteris non item, et provocat ad Cod. Just. 1, 28, 3, ubi praefectura urbis cunctis, quae urbanae sint, dignitatibus antecellere jubetur, idemque putat indicari a Symmacho Epp. 10, 43., qui praefecturam Romae superiorem ceteris esse dicit. At nunc non quaerimus, quae dignitas summa sit, sed quae praesideat in senatu. Si igitur praefectura urbis omnibus, quae intra urbem sunt, dignitatibus praestare dicitur, consulatus autem extra urbem ponitur, jam in hoc ipso inest, consules nec praeesse senatui nec rogare sententias potuisse. Notum enim est, et imperatores ipsos, qui jam dudum Romam reliquerant, saepe eo honore functos esse, et, si quibus aliis consulatus deferebatur, eos in comitatu potius principum quam in urbe fuisse. Accedit, quod hac aetate nomen solum consulis splendidum erat, dignitas nulla, id quod Mamertinus in gratiarum actione Jul. c. 2 init., cum consulatum *honorem sine labore* nominat, ipse fatetur. Neque id mirum, cum saepe pueros vel adeo infantes hunc honorem adeptos esse constet. Quare hoc stare posse opinor, praefectum urbis semper praefuisse senatui ad eumque retulisse de rebus, quae tractandae essent; si consul in urbe versaretur, hunc honorario fortasse quodam loco separatoque a ceteris senatoribus primum post praefectum urbi sententiam dixisse; secutos esse, si qui forte alii magistratus, veluti magistri militum, praefecti praetorio, quaestores, quibus singulis aliquando jus senatum frequentandi fuit, aderant; postremam dixisse reliquam turbam senatorum. Et hoc ipsum indicari puto lege illa codicis Theodosiani, quae praefectum urbis non nominat, sed tantum de ordine, qui post praefectum inter consulem et reliquas, quae adsint, dignitates intercedat,

loquitur. Neque enim placet, quod nonnulli voluerunt, alium sub aliis imperatoribus fuisse morem senatus habendi, id quod conjiciunt isti, non probant testimoniis. Ut autem meam rationem sic explicarem, movit me maxime, quod postea, cum Constantinopoli in eadem urbe semper et consul et praefectus urbi esse solerent, Justinianus Novella 62, 2 jubet in senatu urbicariam praefecturam omnibus aliis dignitatibus praesidere i. e. ante sedere, et post praefectum ceteros patricios numerari et sententiam dicere. Qua quidem lege non id indicari videtur, etiam dignitate potiorem fuisse praefectum urbis vel patricio vel consule, sed solum in senatu ante sedisse, ut explicat ipse, qui dedit legem. Quodsi, qui praeesset senatui, eundem etiam rogasse sententias dubites, en apertum ejus rei exemplum. Symmachus (Epp. 10, 43) narrat, se in praefectura urbis, cum, quid faciendum esset, dubitaret, senatum prisco more consuluisse, quid patrum innueret auctoritas. Itaque haec quidem quaestio videtur esse expedita; difficilior longe et quae haud scio an explicari nequeat, ea est, quando primum praefectus urbi senatui praeesse inceperit. Prima tamen ejus rei vestigia apud Julium Capitolinum Pertinace c. 13 deprehendisse mihi videor.

VI.

Wernsdorfius in prooemio ad Rutilium p. 11, ubi de his rebus agit, ita vera cum falsis miscet, ut intelligi vix queat. Haec ejus verba sunt. „Hoc consulere patres valebat, certe Rutilii aetate, de praefecto urbis, qui senatus princeps erat, patres consulebat, de illis judicabat et illorum aeque ac civium jura tuebatur." At vellem grammaticam rationem explicasset, qui consulere aliquem significare possit ejus jura tueri. Neque rectius Castalionem vituperat, qui ea verba de rogandis in senatu sententiis exposuerat. Optime tamen statim censet, Namatianum indicare, se consilia sua de rebus gerendis plerumque cum patribus communicasse eosque auctores habuisse. Etenim praefectus urbis, cum ejus judicio et cives omnes et senatores subjecti essent

essent, facile utrosque negligere poterat, et, quod sibi placeret, facere, eoque modo saepius eum se gessisse conjici licet et ex Symmachi Epist. 10, 24 et ex Cod. Just. 1, 28, 3, ubi praefectura urbis caeteris, quae Romae sint, dignitatibus ita jubetur antecellere, ut nulli officiat. Itaque erat aliqua laus, si coluit *) consuluitque sanctos patres Namatianus, de eoque idem poterat praedicari, quod antiquitus de consulibus dici solebat, eos in potestate senatus mansisse. Sed vereor jam, ne longus fuerim et redeundum est ad verba poëtae. Insequuntur igitur hi versus:

Nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum,
Non sit praefecti gloria, sed populi.

Quaeris, quod sit ferrum. Habere enim debebat praefectus urbi ferrum, si stringebat. Silent tamen interpretes; solus Corsinus in praefat. ad seriem praef. urb. p. 33 conjicit respici ad gladium, qui ei ab imperatore dari solitus sit. Quamquam ille non probavit rem et putavit, fortasse ferrum etiam de fascibus, quibus utebatur, posse intelligi **). Sed fasces non stringuntur, stringitur vero gladius. Itaque hic dicitur. Praecipuum quidem signum magistratus erat cingulum, quod notum est datum esse iis, qui munus aliquod adipiscerentur, unde praecincti vocantur magistratus, et discernuntur, qui cingulo donantur i. e. qui re vera funguntur munere, ab iis, quibus merus honos obtingit, et, qui eximuntur munere, dicuntur solvi cingulo, cingulum denique nominatur ipsum munus, quod obeas. Idem tamen erat in gladio. Chrysostomus oratione *ὅτι χρήσιμος ἡ τῶν γραφῶν ἀνάγνωσις* (Tom. VIII. p. 115 edit. Savilii) haec habet: *ἀπὸ τῆς ζωνῆς δοκιμάζομεν τὸν ἄρχοντα, ἀπὸ τῆς τοῦ κήρυκος φωνῆς, ἀπὸ τῶν ῥαβδούχων, ἀπὸ τοῦ σχήματος, ἀπὸ*

*) Hoc *coluit* tamen etiam ad judicium, quod sub certa quadam condicione de senatoribus habebat, referri poterit. Confer Corsinum et Drakenborchium locis laudatis.

**) Etenim etiam hi fuerunt praefecto urbis. Itaque Prudentius in Symmach. 1, 645 de eo: *cumque suis pariter lictoribus omnipotenti suppliciter Christo se consecrasse regendos.*

τοῦ ξίφους· πάντα γὰρ ταῦτα ἀρχῆς σύμβολα, Gregorius Nazianzenus epist. 65 ad Africanum provinciae rectorem: ὁ ἄρχων κἂν τὴν ἀναίμακτον ἄρχῃ ἀρχὴν, καθάπερ ὑμεῖς, κἂν τὴν μετὰ ξίφους καὶ τελαμῶνος i. e. cum gladio et cingulo. Quae quidem postrema verba vides accurate convenire cum iis, quae dixit Rutilius. *Crimina* autem, quae ferrum praefecti urbis stringere possent, erant seditiones, tumultus, similia; exempla habes apud Symmachum Epp. 10, 43 et 10, 71 sqq. Ceterum praefecturae suae etiam alibi meminit Namatianus. Nam lib. 1, 427, postquam narravit in itinere nuntium se accepisse de eodem honore Rufio Volusiano, amicissimo sibi, delato, haec verba subjicit:

Sic mihi, sic potius placeat geminata potestas;
Per quem malueram, rursus honore fruar.

Sequitur, ut inquiratur, quando ille urbi praefuerit. Onuphrius in praefatione ad Rutilii carmen, Vossius de historicis lat. lib. 3 p. 4 c. 2, Funccius de vegeta lat. ling. senect. c. 3 §. 79 p. 260 eodem anno, quo iter fecit, etiam praefectum fuisse putant. At non modo nihil, quod probet hanc opinionem, sed etiam quod destruat, ipse poëta narrat lib. 1, 423. Ibi enim, postquam de Rufio Volusiano, qui, dum ille proficiscitur, urbi praepositus est, dixit, sic pergit:

Festa dies pridemque meos dignata penates
Poste coronato vota secunda colat.

Quid? Qui continuo, antequam abiret, praefectus urbi fuerat, is in ipso itinere pridem se eo honore functum esse dicere poterat? Praeterea neglexerunt illi, quod poëta Albinum, de quo infra uberius disputavimus, sibi successisse narrat lib. 1, 466:

Albini patuit proxima villa mei.
Namque meus, quem Roma meo subjunxit honori,
Per quem jura meae continuata togae.

Munus enim, quod Romae obierat poeta, erat praefectura urbis, eademque vocatur *jura togae,* ut apud Statium Silv. 1, 4, 23 *docto neque enim sine numine tantus Ausoniae decora ampla togae centumque dedisti judicium men-*

temque viris *). Albinus autem, qui successit Rutilio, praefectus urbi erat extremo anno 414; nam a. d. XV. Cal. Oct. ejusdem anni ad eum lex Honorii Augusti (in Cod. Theod. 13, 5, 58) data est. Itaque Wernsdorfius poëtam anno 414 vel 413 collocat. Et illum quidem annum concedo, hunc non item. Nam in Cod. Theod. 7, 8, 11, quae lex data est a. d. IV. Id. Jan. anni 414, commemoratur Eutychianus quidam **), qui tum praefectus urbi erat. Namatianus igitur, cum inter Albinum et Eutychianum collocandus sit, sex vel septem tantum menses urbi praefuit. Neque id mirum aut insolitum, cum praefecti urbis, quocunque tempore imperatoribus placeret, munere vel ornarentur vel privarentur, et persaepe fieret, ut terni vel adeo quaterni per singulos annos instituerentur. Falsissima autem est opinio Dammii, qui in paraphrasi ad verba poëtae, quae proxime supra attulimus, putat duos successores Rutilii indicari, alterum, quem Roma ejus honori subjunxerit,

*) Jura togae sunt jura, quae dedi, cum in toga essem. Cum enim ceteri homines tunc pallio uterentur, soli magistratus veterem Romanorumque propriam vestem retinebant. Quare toga quodvis munus civile significat, ut apud Claud. de laud. Stilich. I, 330 de senatu: *decretoque togae felix legionibus iret tessera.* Sed etiam accuratius Namatiani verba interpretari licet. Hac enim aetate toga denotat advocationem et togati eos, qui dicuntur advocati. Praecipue enim in foro et in judiciis toga, quae ad pompam et ornatum dicendi aptior videretur, uti solebant. Quare Sid. Apoll. 3, 7 *bibliothecarum medius vel togarum* i. e. vel literis vel foro deditus; Auson. Profess. 17, 7 *Palladiae primum toga te venerata Tolosae;* Symmach. Epp. 9, 31 *et qui togae amicus es, cujus laude supra alios splenduisti.* Plura exempla congessit Savaro ad. Sid. Apoll. Epp. 2, 13 init. Atqui sub praefecto urbis erat corpus togatorum. Vide Cod. Theod. 12, 1, 152 et 6, 2, 15. Itaque jura togae sunt jura, quae dedi togatis.

**) Lex illa, in qua commemoratur Eutychianus, praefectus urbi, data est ad Probum comitem sacrarum largitionum ita, ut non additum sit, Orientis an Occidentis fuerit. Sed in Codice Theod. 8, 4, 24 alia lex est ad eundem Probum anno 412 Ravennae data. Itaque sine dubio Probus ad Honorium, Eutychianus ad urbem Romam pertinent. Quae indicia nisi adessent, posses etiam de praefecto urbis Constantinopolitanae cogitare.

Rufium Volusianum, qui insecutus sit, alterum, per quem jura ejus togae continuata sint, Albinum, qui deinde successerit. Nam, ut mittam ea, quae modo disputavi, ne verba quidem ipsa hanc interpretationem patiuntur. Quam ut adhibere possis, dicendum erat:

Namque mei, quem Roma meo subjunxit honori,
Per quem jura meae continuata togae.

Praeterea non continuat, nisi qui proximus insequitur.

VII.

Diximus, duos maxime in Namatiani carmine locos inveniri, unde de honoribus, quibus functus sit, conjecturas facere liceat. Et unum quidem jam explicuimus annexis caeteris, quae eandem dignitatem indicare viderentur. Superest alter, qui legitur lib. 1, 561. Narrat poëta, Triturritam, qui Pisarum portus est, se appulisse et inde Pisas ipsas abisse. Jam describit rationem, qua profectus fuerit:

Praebet equos, offert etiam carpenta tribunus,
Ex commilitio carus et ipse mihi,
Officiis regerem cum regia tecta magister
Armigerasque pii principis excubias.

Editor Bononiensis, qui videret tribunum commemorari, eumque commilitonem Namatiani vocari, quid magis habebat in promptu, quam tribunatum etiam huic tribuere? Itaque nominavit tribunum militum. Armigerae autem principis excubiae videbantur praefectum praetorio significare. Additus igitur est etiam hic. Qui proxime ediderunt poëtam vel vitam ejus descripserunt, sive quod rem non norant, sive quod dignitates ex codice sumptas esse arbitrabantur, item decepti sunt *). Primi veterem errorem destruxerunt Tillemontius in histor. imp. Rom. nota 49 ad Honorium et Benedictini Mauriani in historia literaria Galliae Tom. II p. 75. In praefecto autem praetorio res

*) Erravit etiam, qui alias cautior est, Corsinus in serie praef. urbis p. 327 et poëtam magistrum officiorum ac praefectum praetorio sive potius tribunum nominat.

aperta est, cui post rem publicam a Constantino magno ordinatam nihil amplius vel cum militibus vel cum aula imperatorum fuisse constat. Tribunus ferri posset, nisi accederent verba: *officiis regerem cum regia tecta magister*, quae, ut recte Wernsdorfius observavit, ad eum pertinent, quem aetas Namatiani *magistrum officiorum* appellabat. De quo quoniam obscure saepe ac parum scienter disputatur, unde etiam ad hunc locum aliquae manarunt tenebrae, ut aliquanto plenius disseramus, permittatur; fungemurque ea re, quam fieri potest, brevissime.

VIII.

Origo hujus dignitatis manavit ab aula, et magister officiorum dictus est, qui officia palatina gubernaret. Officia autem duplicis generis sunt, et ea, quae proxime ad ipsum imperatorem, quomodo custodiendus et adeundus sit, pertinent, et ea, quae ad totius rei publicae administrationem, quam quidem princeps curet, spectant. Eidem magistro officiorum rei militaris pars aliqua delata erat. Itaque triplex fere ejus munus erat, palatinum, ut ita dicam, civile, militare. Regebat autem primum scholas, quae dicebantur, ad custodiam principis et palatii constitutas. Sic enim ordines quidam fortissimorum et validissimorum militum, qui majore et honore et stipendio ornabantur, ex consuetudine illius aetatis, quae omnes societates ad studium quoddam vel exercitium institutas eo nomine appellabat, et ipsi vocabantur et aedificia, in quibus ante fores palatii excubabant. Institutae autem sunt hae scholae sine dubio a Constantino magno, qui anno 312 Maxentio victo praetorianorum cohortes sustulit (Zosimus 2, 17, 4) et anno 325 primam de scholis palatinis legem tulit (Cod. Theod. 7, 20, 4). Notitia dignitatum utriusque imperii, quae, quoniam eodem fere tempore, quo Namatianus vixit, videtur confecta esse, optime ad hunc explicandum adhiberi potest, in imperio orientali septem, in occidentali quinque tales scholas numerat. In oriente praeterea numerum scholarium fuisse 3500 tradit Suidas s. v. σχολάριοι et ὑπεράρι-

ϑμος. Plura de eorum et interna conformatione et nominibus reperies apud G. Pancirolum ad not. dign. imp. orient. c. 63 etc. Praeter custodiam corporis magistro officiorum delata erat etiam cura admissionum, cui rei singulare praeerat officium, quod admissionalium vocabatur. Etenim si qui vel exterarum gentium vel civitatum Romanarum legati ad aulam imperatoris venirent, hi per magistrum officiorum excipiebantur et per eum ad principem admittebantur. Vide de hac re praeter Pancirolum ad notit. dignitt. imper. orient. c. 65 praecipue Christii dissertationem de magistro officiorum *), qui, quamquam de tota hac dignitate se disputare putat, hoc tamen solum ejus munus explicat. Sequitur pars civilis, ut ita dicam, magisteriae dignitatis. Pertinent huc scrinia quattuor, memoriae, libellorum, epistolarum, dispositionum, quae, etsi etiam alios magistratus, veluti quaestorem, adjuvabant, curae tamen magistri officiorum subjecti erant **), deinde schola agentium in rebus, qui nominabantur. Etenim jam altero post Chr. saeculo imperatores, ut, quid ubique in imperio gereretur, accurate cognoscerent, peculiare quoddam genus hominum instituerunt, quod sub ipsorum gubernatione esset, et ex omnibus provinciis, quaecunque acciderent, referret. Frumentariis his nomen erat ***). Sustulit eos cum omnium laetitia Diocletianus (Aurel. Vict. Diocl. 39). Sed non multo post iidem sub nomine agentium in rebus restituti, et magistro officiorum subjecti sunt. Denique etiam rei militaris pars aliqua ad hanc dignitatem pertinebat, cura armorum fabricationis et locorum, in quibus erant hae fabricae, quas quindecim in imperio orientali, septendecim in occidentali notitia dignitatum enumerat.

---

*) Initio noctium Academicarum Halae 1793.

**) Si plura cupis, adi Pancirolum l. l. c. 93 sqq. Singulis autem scriniis praeerant magistri et de magistro memoriae est peculiaris dissertatio Mangelsdorfii.

***) Frequenter eorum mentionem faciunt scriptores historiae Augustae, Spartianus Hadr. 11; Capitolinus Macrino 12; Trebell. Pollio Claudio 17; Lampridius Commodo 4. Cf. Gothofr. ad Cod. Theod. 6, 29, 1.

Habes jam brevissime descriptam hanc dignitatem. Restat, ut addamus, quo tempore primum orta esse videatur. Turbatur autem haec disquisitio duorum maxime virorum doctorum opinionibus, Gutheri de officiis domus Augustae p. 393 sqq., et Salmasii ad. Jul. Capitolinum Antonino Phil. 8, qui hanc dignitatem adeo ante Neronem extitisse arbitrantur, idque praecipue loco quodam ex passione Processi et Martiniani probant, ubi hi, qui magistriani fuerint, a Paulino, magistro officiorum, ob repudiata vetera sacra accusati et puniti esse narrantur. Sed et, si rei publicae condicionem, quae tum erat, consideras, parum credi potest, jam tunc rem aulicam adeo fuisse excultam, ut magister officiorum esset, nec quidquam simile narrant scriptores ejusdem aetatis. Itaque, qui passionem illam composuit, quae suis temporibus essent, transtulit ad priora. Accedit, quod Paulinus ille alibi militum praefectus dicitur, unde veri similis fit conjectura, Processum et Martinianum in praetorianorum cohorte aliqua stipendia fecisse, Paulinum vero illius fuisse praefectum. Non magis verum est, quod iidem saeculo tertio post Chr. fuisse magistrum officiorum ejusque frequentem mentionem fieri volunt apud scriptores historiae Augustae *). Etenim et semper commemorantur magistri officiorum, non magister, et illi adeo exiguae erant condicionis, ut cum hac illustri dignitate, quae postea fuit, comparari omnino nequeant **). Illi magistri, qui iidem principes vocabantur, praeerant fortasse servis ac libertinis, qui in aula principis erant ejusque corpus curabant ***), hic summam in re publica habebat auctoritatem. Cum

*) Vide Ael. Spartianum in vita Pescennini Nigri c. 82 extr.; Ael. Lamprid. Alexandro Sev. 32; Julium Capit. Antonino Phil. 8; Trebell. Pollionem in vita Gallienorum 17; Ael. Lamprid. Antonino Heliog. 20.

**) Hoc maxime patet ex Ael. Lamprid. Alex. Sev. 32: (imperator) *injuriam nulli unquam amicorum comitumve fecit, nec magistris quidem aut principibus officiorum.* Confer etiam Ael. Lamprid. Anton. Heliog. 20 cum nota Salmasii.

***) Poteris etiam de iis, qui ab epistolis et a libellis imperatori erant, interpretari. At hi tamen honore majore fruebantur, praesertim

custodia certe corporis aut fabricis armorum aut agentibus in rebus illis nihil erat negotii. Prima mentio illustris hujus dignitatis initio quarti saeculi fit apud Zosimum 2, 25, 4 *Λικίννιος διαπλεύσας εἰς τὴν Χαλκηδόνα καὶ κοινωνὸν ἑλόμενος τοῦ κινδύνου Μαρτινιανὸν, ἡγεμόνα τῶν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων ὄντα (μάγιστρον τοῦτον ὀφφικίων καλοῦσι Ῥωμαῖοι) καίσαρα καθίστησι καὶ μετὰ στρατιᾶς εἰς Λάμψακον ἐκπέμπει* *). Itaque fortasse Constantinus magnus, uti alia multa, ita hanc quoque dignitatem instituit, accepitque ab eo Licinius. Nam jam duobus annis ante est lex Constantini (Cod. Theod. 16, 10, 1), in qua commemoratur tribunus et magister officiorum. Quae eadem est dignitas. Tribuni enim nomen initio (postea omitti solebat) addebatur, quod, quia fabricis et scholis praeerat, quodammodo etiam ad rem militarem pertinere videbatur. Vide Gothofredum ad Cod. Theod. 11, 9, 1.

IX.

Sed, ut cum Namatiano loquamur,

> deverticulo fuimus fortasse loquaces,
> Carmine proposito jam repetamus iter.

Redeundum igitur est ad verba poëtae, quae proxime supra scripsimus. In quibus junge *magister officiis* i. e. praefectus vel praepositus; neque enim tecta regia officiis regere dici potest. Armigerae principis excubiae sunt scholae illae quinque, de quibus modo dixi. Wernsdorfius protectores et armigeros, qui principis satellites fuerint, indicari putat. Quod eos in comitatu imperatoris ponit, recte facit; si curae magistri officiorum subjicit, fallitur. Dicebat enim sine dubio protectores et domesticos **), qui vocantur; nam

---

cum inde ab Hadriano equites Romani esse solerent, ut tradit Ael. Spart. Hadr. 22.

*) Factum hoc est anno 323 p. Ch. brevi antequam victus periit Licinius.

**) De his, ut hoc obiter moneam, duas dissertationes scripsit Ch. G. Grabenerus, unam de nomine et origine protectorum, alteram de scho-

armigeri, quos dixit, sunt omnes milites, non solum ei, quibus magister officiorum imperat. Illi autem erant quidem et ipsi ad custodiam principis constituti, at non magistro officiorum, sed potius comiti domesticorum, qui sejunctam ab hoc dignitatem habebat, parebant. In scholis autem, quae olim Namatiano obediverant, militaverat etiam tribunus, qui ei equos et carpenta ad iter Pisas suscipiendum praebuit. Qui autem hic tribunus? Militum fuisse Wernsdorfius vult, qui in praesidio illius regionis essent. Et potest verum vidisse. Etenim scholares (sic enim vocantur, qui in scholis militant), postquam decemprimatum et primiceriatum, qui summi in iis gradus erant, meruerunt, tribunorum nomine aucti ad regendos militum numeros mitti solebant. Exemplum habes apud Ammian. Marcell. 16, 10, 21, ubi, quamvis proprie de protectore sermo sit, idem tamen etiam de scholaribus, quorum simillima et ratio et usus erat, valet. Sed poterat is tribunus etiam talis esse, qui vacans vocatur. Etenim si quis primiceriorum inter scholares stipendia absolvisset, moris erat, ut tribunatus honore ornatus ita dimitteretur, ut aut denuo postea militaret aut in otio maneret *).

Haec fere sunt, quae de vita Namatiani ex ipsius carmine nota sunt. Alibi nulla ejus memoria. Nam, quod eum Namatium, magistrum officiorum, qui est in Cod. Theod. 6, 22, 15, hunc ipsum Namatianum esse puto, id jam supra explicui; nec habeo, quod iis, quae dixi, addam. Praeterea vulgaris est opinio, Rutilium, cui inscripta est Querolus sive Aulularia, fabula cujusdam Pseudo-Plauti, esse hunc Namatianum, qui de reditu suo scripsit. Qua de re quid sentiendum esse videatur, infra aptiore loco exponemus.

---

lis protectorum Dresdae 1751. Sed cave ei credas; miscet enim scholares et protectores. Adi igitur, si plus, quam hic dici licet, cupis, praecipue Gothofredum Paratitlo ad Cod. Theod. 6, 24.

*) Vide Cod. Theod. 6, 24, 11. De aliis autem dignitatibus vacantibus infra dicemus. Tribunorum vacantium frequens mentio fit apud Amm. Marcell. 15, 3, 10; 18, 22; 31, 13, 8.

X.

De causis, quae Namatianum moverint, ut Romam relinqueret et in patriam rediret, non multa dici possunt. Quas, cum tam saepe ac tam multis invitum se discedere narret, opus est graves quasdam fuisse, et quas vitare nequiret. Quare Barthius ad lib. 1, 28 conjicit eum cum milite redisse vel certe cum plena potestate corrigendae provinciae, quem magistratum illa aetas *correctorem* vocaverit, munus ipsum *correcturam*. Simile quid Cortius videtur cogitasse, qui ad 1, 24 monet, *privatum* posse etiam eum dici, qui magistratu fungatur: quare etiam Rutilium recte sic nominari. Hoc autem falsum esse jam viderunt caeteri interpretes. Nam corrector non a corrigendo, sed, quod adjutor vel potius collega rectoris est, sic dicitur. Neque ad aliud ullum munus se abisse in Gallias ipse testatur poëta lib. 1, 24:

Privatam repetunt publica damna fidem.
Praesentes lacrimas tectis debemus avitis,
Prodest admonitus saepe dolore labor.
Nec fas, ulterius longas nescire ruinas,
Quas mora suspensae multiplicavit opis.
Jam tempus laceris post longa incendia fundis
Vel pastorales aedificare casas.

Narrat igitur praedia sua, quae in Galliis possidebat, continuis barbarorum incursionibus vastata fuisse ad eaque restituenda et curanda se revertisse in patriam, unde tum excesserant hostes. Etenim anno 416, quo iter fecit, pacata fere erat Gallia. Vandali ac Suevi et Alani jam sexto anno ante in Hispanias transierant, Wallia vero, Gothorum rex, pactus cum Honorio et in militiae Romanae jura acceptus eo ipso anno bellum cum barbaris pro imperio Romano gerere coepit. Benedictini Mauriani in histor. lit. Gall. Tom. II p. 73, quod imperfectum Namatiani carmen sit (deest enim libri secundi pars longe maxima), conjiciunt eum fortasse vel in mari vel alio modo, antequam rediret, perisse. Sed haec mera conjectura, in qua quantum veri insit, dici nequit. Non firmiore argumento

nititur, quod Wernsdorfius putat. Qui cum apud Theodulphum, episcopum Aurelianensem, inter poëtas christianos ab eo lectos etiam Rutilium quendam vel potius Rutilum nominari videret, inde collegit, Namatianum publica calamitate patriae et interitu ruentium ubique veterum deorum motum, uti alios, sic et ipsum christianis se dedisse sacris, et poëmatis sanctioris argumenti scribendis veteres errores expiasse. Sed apud Theodulphum legendum est Rutilus. En versus:

Cura decens patrum nec erat postrema piorum,
Quorum sic subter nomina scripta vide:
Sedulius, Rutilus, Paulinus, Arator, Avitus,
Et Fortunatus tuque, Juvence tonans.

Wernsdorfius monet ille quidem, ne quis offendat, quod, qui Rutilius dici soleat, hic Rutilus vocetur; simili enim modo etiam Palladium Rutilium, notissimum rei rusticae scriptorem, in aliquot codicibus nominari Rutilum. Sed apparet tamen, quam distet haec ratio ab illa. Alia fortasse etiam causa erat Namatiano Romam relinquendi, et in otium ac vitam privatam, ut videtur, se recipiendi. Veterum enim Romanorum sacris addictus erat, nec modo addictus iis erat, verum etiam adeo amabat, ut christianos, quorum opes ac potentia illa aetate in dies crescebant, odisset eosque, quoniam palam conviciari periculosum erat, tecte saltem peteret. Vide lib. 1, 383 et 439 et 518. Neque enim recte hoc crimen, quod Namatiano ab interpretibus, praesertim vetustioribus, vehementer exprobratur, quin propemodum dilui ab aequis judicibus possit, non dubitat Wernsdorfius. Qui si in iis, quae poëta de Judaeis et monachis judicat, apparere adeo specimen aliquod prudentiae putat, non contra dico. Nam convicia Judaei illius (lib. 1, 383); qui stagna, quae visit Namatianus, conduxerat, molesta sane erant atque importuna et quae nemo aequo animo tolerare posset. Caetera autem, quae de superstitione et caerimoniis Judaeorum addit, eadem inveniuntur apud Tacitum, Juvenalem, Martialem. Sed cum deinde Judaeorum gentem vocat radicem stultitiae et v. 395 subjicit:

Atque utinam nunquam Judaea subacta fuisset
Pompeji bellis imperioque Titi.
Latius excisae pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit,

non video, quomodo non petat christianos. Wernsdorfius radicem stultitiae ad ipsos Judaeos, unde nihil nisi stultum provenerit, refert et stultos dici putat miros eorum mores et ritus; sed, quae insequuntur, victores premi a natione victa, cum non item ad solos Judaeos pertinere possint, efficiunt, ut illa quoque de christianis intelligere malimus. Quodsi monachi vituperantur, recte illud quidem fit ab eo, qui rem publicam curet, qua relicta illi solitudinem et illuviem sectabantur, sed, quoniam id cohaerebat illa aetate cum christianis, hi simul ipsi petuntur. Itaque, quamvis prudens et amans rei publicae, infensus tamen christianis erat Namatianus. Quid autem, qui christianus non esset, tum in re publica agere aut quas dignitates sperare poterat? Cum enim jam priores imperatores vario modo vetera sacra abolere deumque christianorum introducere studuissent, Honorius, praesertim ubi paganos, qui dicebantur, multa contra se occulte machinari et Eucherium, Stilichonis filium, qui, si imperium adeptus esset, priscos deos se restituturum esse pollicitus erat, ad regnum evehere velle comperit *), omnes hos tum ab aula tum a re publica amovere statuit. Itaque non multo post necem Stilichonis anno 408 legem dedit, qua, quicunque aliis quam ipse sacris addicti essent, muneribus palatinis fungi vetabantur (Cod. Theod. 16, 5, 42). Sed hanc quidem ob Genneridi cujusdam constantiam statim abrogatam esse scribit Zosimus 5, 46. Nihilominus octo annis post imperator iterum edixit, ne, qui veteres deos coleret, non modo aulicas, sed ne alias quidem ullas dignitates assequi posset (Cod. Theod. 16, 10, 21). Igitur nihil erat reliquum Namatiano, nisi ut in otium ac vitam privatam se reciperet. Sed etiam antea vel ea ipsa res vel aliud (quamquam quid fue-

*) Vide Orosium 7, 38 et Marcellini chronicon h. a.

rit, quoniam ambigua est oratio, indicari non quit) ei offecisse videtur. Audi ipsum. Laudaverat Albinum quendam, qui sibi in praefectura urbis successisset, amicitiamque, qua cum illo conjunctus esset. Pergit ita lib. 1, 473:

Praetulit ille meas, cum vincere posset, habenas;
Praedecessoris major amore fuit.

Mire haec intelligit Wernsdorfius, prae suis laudasse et magni fecisse Albinum Namatiani habenas i. e. magistratus ejus rationes et acta, ideoque, quod hic amorem ejus palam testificaretur, hoc decessoris amore majorem et illustriorem visum esse. At non Namatianus Albinum, sed hic illum adjuvit, et, cum ipse praefectus urbi fieri posset, maluit cedere. Hinc etiam explicandum, cur tam breve tempus urbi praefuerit poëta. Speravit fortasse, iterum se hanc dignitatem esse assecuturum. Certe tale quiddam latere videtur in lib. 1, 427, ubi, postquam nuntium accepit Rufium Volusianum praefectum urbis factum esse, sic loquitur:

Sic mihi, sic potius placeat geminata potestas;
Per quem malueram, rursus honore fruar.

Sed, quoniam, quae obscure dicta sunt, nisi obscure, disputari nequeunt, mittenda jam haec et transeundum ad viros illa aetate claros, quos Namatianus carmine suo celebrat.

XI.

Primum igitur *ad patrem ejus* deferimur. Insignis de eo locus est lib. 1, 575, ubi Pisis se statuam in honorem ejus positam invenisse narrat:

Hic oblata mihi sancti genitoris imago,
Pisani proprio quam posuere foro.
Namque pater quondam Tyrrhenis praefuit arvis,
Fascibus et senis credita jura dedit.

Insequuntur laudes multae; deinde hi versus:

Famam Lachanii veneratur numinis instar
Inter Tyrrhigenas Lydia tota suos.

Igitur patrem Namatiani Lachanium nominatum esse collegerunt interpretes; idque merito, ut videtur. Nam quis

iste subito Lachanius, nisi is, de quo tam multa proxime antea praedicantur, pater poëtae? Sed de ipso nomine dubitationem movet Burmannus, quod, quoniam nusquam alibi invenitur et barbari nescio quid sonare videbatur, in Laecanium mutari voluit. Gruterus quidem in inscriptionibus habet solam mulierem Laecaniam *), sed apud Reinesium Cl. X, 1 est C. Laecanius Victorinus et L. Laecanius Felicissimus. Nolim tamen accipi Laecanium; nam quod ignotum est nomen aliquod, non satis causae, ut damnetur. Retineamus igitur Lachanium. Quid autem porro? Pro *Tyrrhigenis*, quos in versibus illis nominavi, in antiquissimis editionibus est *turrigenas*, quod merito spreverunt recentiores interpretes. Nam etiamsi gentem Etruscam constat ingentes saepe turres exstruxisse, unde nonnulli eos nomen invenisse dicunt, ineptum tamen esset, si quis ex turri natus esse diceretur, ac poëta secum ipse pugnaret, si eosdem ad Lydos et ad turres in iisdem fere verbis referret. Quare Castalio emendavit *terrigenas*. Sed id quoque, quod de Gigantibus tantum, terrae filiis, vel de primis hominibus, quos ex terra procreatos esse fama erat, usurpatur, pariter vitiosum esse jam Wernsdorfius intellexit. Superest igitur Dammianum *Tyrrhigenas*, idque recte probari videtur. Quamquam nec Wernsdorfius hoc, nec caeteri suum quisque explicuerunt. Nam cum de veteribus heroibus et numinibus indigenis, inter quos Lachanius relatus sit, interpretantur, quem poëta numinis instar esse dixit, numen ipsum faciunt. Praeterea probandum erat Tyrrhigenas esse heroës veteres et numina. Neque enim hoc nomen, ut voluit Wernsdorfius, ad Tyrrheum, pastorem regium, qui est apud Virg. Aen. 7, 485, aut ad Tyrrhidas, ejus filios, referendum (quid enim his vel cum Etruscis vel cum Tyrrhigenis?) nec ab Tyrrheno, vetere Lydorum rege, ducendum est. Sed erat Lydiae prisca urbs Tyrrha **), unde et Tyrrhenus nomen habet et incolae vel

---

*) Auget enim rem Wernsdorfius, si plures apud eum inveniri dicit.

**) Vide Ottfriedum Müllerum Etruscis Vol. I p. 80.

proles ejus Tyrrhigenae appellari possunt. Itaque hunc locum sic accipe: Etruria tota inter populares suos i. e. omnes Etruriae incolae numinis instar Lachanium venerantur. Patrem igitur Tyrrhenis arvis praefuisse ejusque famam Lydia tota coli narrat Namatianus. Quibus verbis inductus Tillemontius hist. imp. Rom. Tom. V p. 661 eum Lydiae rectorem fecit, nec cogitavit etiam Etruriam ab incolarum origine saepe sic vocari. At res non digna, quae refutetur, nec ei fidem habuerunt interpretes. Alia potius sunt, quae etiam hos latere videantur. De quibus ut dijudicari possit, altius res est repetenda.

XII.

Augustus totam Italiam, cujus fines usque ad Polam urbem protulerat, in undecim regiones divisit singulisque praetores praefecit; Roma vero suburbanaque regio separata ab caeteris postea praefecto urbis commissa est. Manserunt haec usque ad Hadrianum, qui, ut plurima alia, ita haec quoque mutavit, Italiamque in quattuor partes divisam totidem consularibus tradidit *). Auctores sunt Ael. Spart. Hadr. 22 *quattuor consulares per omnem Italiam judices constituit;* Jul. Capit. Antonino Pio 2 *ab Hadriano inter quattuor consulares, quibus Italia committebatur, electus est ad eam partem Italiae regendam, in qua plurimum possidebat.* Sed ne haec quidem diu stetere et mutavit fortasse jam M. Antoninus Philosophus, quamquam, quomodo mutaverit, non videtur certo dici posse. Vide Salmas. ad Jul. Capit. Marco Anton. 14. Postea aliquoties correctores totius, ut videtur, Italiae commemorantur. Au-

---

*) Cave, ne decipiare loco Aelii Spart. in vita Hadr. 18 *Hadrianus in Etruria praeturam imperator egit.* Haec enim verba potius ad magistratum, qui Etruriae urbium peculiaris esset et ab ipsis eligeretur, non ab imperatore mitteretur, pertinere videntur, praesertim cum statim post de dictatura et duumviratu oppidorum Latinorum sermo sit. Casaubonus ad h. l. ambigue loquitur, sed rectissime provocat ad inscriptionem, quae est apud Grut. p. 385; adde similem apud Reines. Cl. 7, 114.

relianus imperator Tetricum seniorem, quem vicerat, totius Italiae correctorem fecisse dicitur apud Trebell. Poll. trig. tyr. 24 *). In Codice Just. 7, 35, 3 est lex Diocletiani et Maximiani ad Numidium, Italiae correctorem, anno 290 p. Ch. data. Sub iisdem imperatoribus Paetus quidam Honoratus corrector Italiae vocatur apud Gruterum p. 279, 4, ad quem eundem est lex Cod. Just. 2, 11, 1 anno 293 data. Porro sub Constantino Rufium Volusianum per octo annos Italiae correctorem fuisse ex inscriptione affert Pancirolus ad notitiam dignitatum imp. occid. c. 49. Reperi eam apud Grut. p. 387, 2. Quam si accuratius inspicias, Rufium aut antequam Constantinus imperium adipisceretur, aut primis certe ejus annis Italiae praefuisse invenies. Hic enim, simul atque rem publicam ab hostibus liberavit, totam rationem Italiae administrandae mutavit **). Nam descripsit eam excepta urbe et agro, qui ad eam pertinebat, in septendecim regiones, quarum decem, quae Italiam, quae priscis temporibus vocabatur, efficiebant, vicario Romae, reliquas vicario Italiae ***) tradidit. Illae erant Campania, Tuscia et Umbria, Picenum suburbicarium, Sicilia †), quae

*) Flav. Vopisc. Aurel. 39 eundem Tetricum correctorem Lucaniae factum esse tradit. Quare a multis Pollioni negligentia exprobratur. Sed in hac saltem re verius videtur narrasse, praesertim cum etiam singulas provincias, quibus cunctis Tetricus praefuerit, enumeret. Apparet hinc simul correcturae dignitatem aliis temporibus fuisse aliam.

**) Quamquam hoc non ita intelligendum, ut Constantinus nova omnino atque inusitata instituisse putetur. Quod quidem cum in aliis rebus constet, tum in hac provinciarum descriptione colligi potest ex Trebell. Poll. trig. tyr. 24, ubi eadem fere nomina, quae postea usu venerunt, inveniuntur.

***) Non ignoro equidem, etiam post Constantinum in his provinciis describendis nonnullas mutationes factas esse; sed ne longus essem (quod ne fuerim jam vereor), posui nomina, quibus Rutilii aetas utebatur, quae notitia dignitatum utriusque imperii eodem fere tempore confecta exhibet.

†) Haec enim, ut Sardinia et Corsica, cum antiquitus pro peregrinis haberetur, jam dudum ipsi Italiae adjecta erat.

quae singulae a consularibus, Apulia et Calabria, Bruttii et Lucania, quae a correctoribus, Samnium, Sardinia, Corsica, Valeria, quae a praesidibus regebantur. Hae efficiebantur ex Venetia et Istria, Aemilia, Liguria, Flaminia et Piceno annonario, quae a consularibus, Alpibus Cottiis, Rhaetiis prima et secunda, quae a praesidibus gubernabantur. Lachanius igitur, Namatiani pater, Tusciae praefuisse dicitur. De eodem post summas ejus laudes haec sequuntur v. 593:

> Haec eadem, cum Flaminiae regionibus irem,
> Splendoris patrii saepe reperta fides.

Quae ista Flaminia, cui simul et Tusciae praefuit ille? Silent interpretes, quamvis debeant dicere, et res est difficilis. Nam hoc primum cuivis, qui verba poëtae accuratius consideraverit, stare opinor, de una tantum Lachanii administratione eum loqui. Neque enim intelligo Franciscum Marianum de Etruria Metropoli c. 30 p. 213, qui solus, ut videtur, hic duo diversa munera, quibus deinceps ille praefuerit, significari putat, unum, quod Pisis electus ejus urbis proprius quasi et peculiaris magistratus, alterum, quod in Etruria consularis gesserit. Deceptus autem est et nomine rectoris, quod de consulari dici posse negabat, et eo, quod, quia Pisis Lachanio statua posita erat, inde ibidem eum habitasse colligebat. Sed de rectore res apertior, quam de qua disputemus, et statuam non video, cur ei non in omnibus urbibus, quae modo ejus imperio subjectae fuissent, collocari potuerit. Vide exempla, quae infra de statuis consularibus Tusciae positis attulimus. Describamus igitur fines Etruriae provinciae et videamus, qui ea, quae de Lachanio narrantur, intelligenda sint. Constat enim partes Italiae, quae vel Augusti vel etiam antiquioribus temporibus fuerant, Constantini saeculo omnes esse turbatas. Etruria vetus non deminuta etiam ad provinciam consularem, quae postea erat, pertinebat. Accedebat vero Umbriae pars. Ea enim provincia re quidem tum non amplius extabat, nomen cum Tuscia jungi solebat. Etenim septentrionalis ejus pars assumpta et Galliae cisalpinae et

Piceni veteris parte provinciam consularem, quae Flaminia et Picenum annonarium dicebatur *), efficiebat, meridionalis, quae ad Tusciam adjacebat, cum hac ipsa conjuncta erat. Piceni autem prisci pars, quae supererat, cum aliquot finitimis populis sociata Picenum suburbicarium vocabatur. Huic Piceno vicina erat Valeria, quae partem Latii, Marsos, Pelignos continebat et Campania ac Samnio terminabatur **). Tuscia igitur prisca etiam posteriori tempore non deminuta consulari est tradita. Obloquentur, qui freti maxime iis, quae Salmasius ad Trebell. Poll. trig. tyr. 24 disputat, eximendam esse putent eam partem, quae intra centesimum ab urbe lapidem sit, quippe quae, cum ad suburbicarias regiones pertineret, jurisdictioni praefecti urbis subjecta fuerit. At Salmasius recte illud quidem explicat, unde nomen habeant suburbicariae et annonariae regiones, item, quae dicantur, sed in caeteris non satis accurate disputare videtur. Diligentior Gothofredus ad varias leges codicis Theodosiani, sed is quoque, quamvis pleraque, quae ad rem faciunt, afferat, totam rationem non

---

*) Flaminia est, quae medio aevo Romaniola vocabatur, ejusque caput Ravenna (Zos. 5, 37 init.). Picenum annonarium est marca Anconitana, quae nominatur, ejusque urbs praecipua, in qua consularis Flaminiae et Piceni annonarii habitabat, priscum Fanum Fortunae, quam tunc Flaviam sive Juliam Fanestrem appellatam esse demonstrat Gothofr. ad Cod. Theod. 2, 9, 5, quod nomen quomodo ex vetere ortum sit, docet Salmas. ad Flav. Vopis. Aurel. 29.

**) De hoc Piceno suburbicario et Valeria multa lis est. Turbat maxime Paul. Diaconus hist. Langob. 2, 20, qui cum fines Valeriae provinciae describit, non modo omnem eam regionem, quae ad Picenum suburbicarium pertinet, complectitur, sed etiam Tusciae partem addit. Vide Goth. ad Cod. Theod. 9, 30, 5. Accedit, quod haec provincia sub Honorio demum videtur esse instituta. Quare cum scriptores rei agrariae p. 142, 144, 145 ed. Goes. Picenum et Valeriam in unam provinciam jungant, eandem earum rationem fuisse puto ac Flaminiae et Piceni annonarii, ut ante Honorium Picenum suburbicarium etiam Valeriam contineret, postea haec ab illo sejungeretur, tandem iterum conjuncta mutato modo nomine coalescerent. Itaque ex hac opinione provinciarum fines descripsi.

explanat. Eandem rem tractat etiam Jac. Lechasserius de vocabulis ad geographiam juris Romani pertinentibus (in Everardi Ottonis Thesauro Jur. Tom. V p. 1004), sed is et brevior est et aliud proprie agit. Jam vero hoc nobis stet, quod illi praefectum urbis intra centesimum ab urbe lapidem potestatem habere dicunt, non ita esse intelligendum, ut regiones illas soli ejus administrationi subjectas fuisse arbitremur. Quod qui statuit, Tusciam et Valeriam ita minuit, ut plura demantur quam supersint, Picenum autem suburbicarium, quod singulari consulari, qui vicario Romae subjectus erat, paruisse constat, totum fere praefecto urbis adjicit *). Sed etiam alia inveniri possunt, quae rationem istam refutent. Sic lex Cod. Theod. 12, 1, 61, quae de Vulsiniis agit, qui secundum itinerarium Antonini (p. 286 ed. Wesseling.) septuaginta duobus milibus ab urbe distant, data est ad Terentium, correctorem Tusciae. Simili modo Narnienses et Interamnates, qui fortasse quinquagesimo lapide sunt, rectoribus Tusciae, quod bene provinciam administrassent, statuas ponendas esse censuerunt. Vide inscriptiones, quas mox afferemus. Latium porro totum consulari Campaniae paruisse docet Goth. ad Cod. Theod. 9, 40, 12. Intelligi igitur hoc, quod suburbicariae regiones et a praefecto urbis et a rectoribus provinciarum, ad quas pertinent, gubernari dicuntur, nequit, nisi eas utrisque paruisse statuas. Idque significat etiam lex Cod. Theod. 11, 40, 12 a Valente, Gratiano, Valentiniano A. A. A. anno 378 data, ad quam vide, quae Gothofredus disputat. Quattuor omnino fuerunt regiones suburbicariae **), quarum prima ad Tusciam, altera ad Picenum suburbicarium ***), tertia ad Valeriam, quarta, quae Latium conti-

*) Suburbicarias autem regiones usque ad centesimum ab urbe lapidem patuisse praeter Salmas. l. l. probat Gothofr. ad Cod. Theod. 2, 16, 2 et 11, 1, 9, cui hac quidem in re nihil addi potest.

**) Cf. Goth. ad Cod. Theod. 14, 6, 1 et 11, 1, 9.

***) Jam colligi licet, unde haec provincia nomen habeat. Cum enim ejus longe major pars intra centesimum ab urbe lapidem esset et suburbicarias regiones contineret, ut discerneretur ab Piceno annonario,

nebat, ad Campaniam pertinebat. Jam harum provinciarum rectores duplicem quasi jurisdictionem habebant, unam in suburbicaria regione, quae in eorum potestate erat, alteram in reliqua parte. Illa artior erat et certum quendam terminum non excedebat, atque appellatio ad praefectum urbis erat; haec major liberiorque et ad vicarium Romae, deinde ad praefectum praetorio Italiae appellabatur. Sed etiam alterum discrimen erat suburbanarum regionum et reliquae Italiae. Illae enim a multis tributis et oneribus, quibus haec obruebatur, immunes erant. Gratianus (Cod. Theod. 11, 16, 12) dum caeteris provinciis extraordinaria munera imperat, suburbicarias regiones immunes esse jubet a praebitione tironum; Constantinus in lege de tempore petendae in integrum restitutionis (Cod. Theod. 2, 16, 2) urbem Romam et urbicarias regiones simili modo praestare vult reliquae Italiae *). Erant sine dubio etiam plures tales immunitates, quarum memoria ad nos non pervenit. Quae cum ita essent, factum tamen est, ut aliquando peculiares urbicariarum regionum consulares essent. Sed unum tantum novi extrema imperii aetate, Rogatianum, Tusciae suburbicariae consularem, qui commemoratur in Novell. Cod. Theod. 4, 9. Quid tum reliqua Tuscia factum sit, certo dici nequit; singularem ei fuisse consularem puto. At praeter hoc exemplum aliud non novi, quod hanc utramque Tusciam, suburbicariam et annonariam, saepius sejunctam fuisse demonstret. Inde igitur corrigendi interpretes ad Amm. Marcell. 27, 3, 1, quos plenissime jam Goth. ad Cod. Theod. 11, 1, 9 refutavit.

XIII.

Quare Lachanius, si Tusciam rexisse dicitur, et Tuscia ipsa, tam annonaria quam suburbicaria, et ea pars Um-

---

dicta est urbicaria. Aliqua tamen ejus pars extra centesimum lapidem esse debebat, ut vicario Romae subjecta esse posset.

*) Hinc ipsum nomen reliquae Italiae, quae annonaria dicebatur, ortum, quippe quae annonam ad principem ejusque exercitum alendos conferre deberet. Cf. Goth. ad. Cod. Theod. 11, 1, 6 et Salmas. l. l.

briae, quam ad illam pertinuisse exposuimus, intelliguntur; a parte enim potiori provincia nominatur *). Jam videndum de verbis Namatiani, quae supra posuimus, quibus Lachanius etiam Flaminiae regiones administrasse dicitur. Duas habes Flaminias, alteram viam, alteram regionem, quae eodem modo dicta est atque Aemilia et Valeria. Atqui putare poteris Tusciam cum Umbria et regionem Flaminiam, cujus fines paulo ante descripsimus, conjunctam fuisse sub cura Lachanii. Neque enim Italiae divisio adeo certa erat, ut non aliquid a singulis imperatoribus mutaretur. Sic in Cod. Theod. 11, 16, 2 invenitur Ulpius Flavianus, consularis Aemiliae et Liguriae; ibid. 2, 4, 4 earundem provinciarum, quae plerumque sejunctae esse solebant, unus consularis **). At alia tamen ratio est Flaminiae atque Tusciae, quarum illa vicario Italiae, haec vicario Romae parebat; quare, qui has sub uno rectore junxisset, simul caeterorum magistratuum rationem mutasset. Neque ulla talis mutationis fit mentio. Itaque abjecta regione Flaminia confugiendum potius est ad viam. Quae postquam Roma abiit, Ocriculos primum et Narniam tangit, deinde juxta Tusciae fines porrecta Ariminum flectitur. Ea autem sola pars, quae Ariminum versus abit, ad provinciam Flaminiam pertinebat et cum Piceno annonario subjecta erat consulari Flaminiae, reliqua cum Umbria

---

*) Erunt fortasse, qui, cum rectores nunc Tusciae nunc Tusciae et Umbriae dicantur, aliquando etiam sejunctam fuisse partem illam Umbriae a Tuscia statuere velint. At hoc fieri non posse apparet ex inscriptione apud Grut. p. 422, 1, ubi cives et ordo Interamnatium, qui sunt in Umbria prisca, Julio Eubulidae correctori Tusciae ob provinciam egregie administratam statuam posuisse dicuntur. Itaque provinciae illae ita coaluerunt, ut Umbriae nomen modo adderetur modo omitteretur.

**) Goth. ad Cod. Theod. 9, 30, 4 huc pertinere putat inscriptionem, quae est apud Grut. p. 1093, 3, ubi C. Cornelius Felix Thrallus vocatur juridicus (i. e. consularis) per Flaminiam et Umbriam. Sed hoc potius eo referendum, quod et Flaminia et Picenum annonarium, quod ei adhaerebat, partem veteris Umbriae continebant, quare priscum nomen cum recenti miscebatur, ut in Tuscia et Umbria.

Tusciae adscripta extremos fere fines hujus provinciae efficiebat. Quod cum ex aliis rebus colligi liceat, tum firmatur Narniensium et Interamnatium, qui ad viam Flaminiam erant, inscriptionibus, quas statim afferemus. Noli igitur decipi verbis poëtae, in quibus Flaminiae regionum mentio fit, quae non ad regionem Flaminiam, sed potius ad eam partem viae, quae Tusciae adhaerebat, pertinent. Possis fortasse quaerere, quando Namatianus via Flaminia profectus fuerit. Inanis tamen haec quaestio et quae tota conjecturis pateat. Quidquid enim suspicaris, nisi plura de ejus vita et fatis innotescunt, iisdem omnia nullis argumentis nituntur. Potuit eam et cum Roma in Gallias rediret et quovis alio tempore, quo Italiam viseret, contingere.

XIV.

Gravior est quaestio, quam dignitatem Lachanius, cum Tusciam regeret, habuerit. Neque enim hoc certum est; nam et correctores et consulares Tusciae fuerunt *). Observasse tamen mihi videor, iis modo temporibus, quae inde a Constantino usque ad Constantium vel paulo post sunt, fuisse correctores **), postea consulares, quos solos notitia dignitatum imperii occidentalis novit. Sub Constantio Dynamius (Amm. Marc. 15, 5, 4), paulo post anno 362 Auxonius (Cod. Theod. 8, 1, 6), anno 364 Terentius (Cod. Theod. 2, 1, 4; ibid. 12, 1, 61; Amm. Marc. 27, 3, 2), anno 366 Maximianus (Cod. Theod. 9, 1, 8) correctores Tusciae fuerunt. Adde alios ex inscriptionibus, L. Turcium Apronianum, qui anno 342 corrector Tusciae et Umbriae vocatur apud Grut. p. 476, 7 et Murat p. 379, Praetextatum correctorem Tusciae et Umbriae apud Grut.

---

*) Simili modo etiam in aliis provinciis variatum est. Caecilianum Placidum, correctorem Venetiae et Istriae, ex inscriptione affert Pancirolus ad not. dignitt. imp. occid. c. 49 extr. Postea consulares fuerunt (Cod. Theod. 8, 8, 1 et 11, 7, 10) eosque habet notitia dignitatum.

**) Plura de correctoribus vide apud Dresigium de correctoribus imperii Romani, Lipsiae 1739.

p. 1102, 2 et p. 486, 3 *), P. Publilium Julianum correctorem Tusciae et Umbriae apud Grut. p. 460, 4 **), denique Julium Eubulidam correctorem Tusciae apud Grut. p. 422, 1, cujus tempus incertum est. Postea consulares tantum Tusciae commemorantur, anno 370 Olybrius (Cod. Theod. 12, 1, 72), anno 389 Claudius (Cod. Theod. 2, 4, 5). Adjice alium ex inscriptione apud Grut. p. 47, 4, Bettium Perpetuum Arzirium ***). Itaque Lachanius consularis Tusciae et Umbriae videtur fuisse †). Urbs autem praecipua hujus provinciae, ubi consularis habitare solebat, Florentia erat, ut demonstrat Goth. ad Cod. Theod. 9, 1, 8. Inde corrige Wernsdorfium, qui, cum Namatianus patri a Pisanis statuam in foro positam esse narret, Pisas pro capite quasi Tusciae habet. Neque enim rectori ea modo urbs, in qua habitarat, titulum talem collocare solebat, sed quaevis alia, quae ejus gubernationi subjecta fuisset. Quod ut videas et appareat simul, quomodo Lachanii laudes, quas poëta lib. 1, 577 seqq. commemorat, intelligendae

---

*) Haec inscriptio dedicata est anno 387 Valentiniano III. et Eutropio coss. Sed multo antea sine dubio Praetextatus Tusciae et Umbriae praefuit; nam anno 367 praefectus urbi fuisse videtur (cf. Corsinum l. l. p. 243), et ad hanc dignitatem per minorem illam ascenderat.

**) Idem fortasse est, quem Pancirolus l. l. c. 51 Jovianum Julium nominat (multa enim nomina aetas illa adamabat) et sub Constantino vixisse putat, utrumque ex marmore. Eundem puto esse Julianum atque eum, qui anno 335 cum Paulino consul fuit. Decipitur enim Gruterus, qui ad p. 387, 2, ubi repetitur eadem inscriptio, hunc Julianum anno a. U. 1087 i. e. anno 336 p. Ch. consulem facit, quo Fl. Popilius Nepotianus et Facundus fuerunt.

***) Nomen ejus, praecipue primum, incertum; item tempus. Magnopere enim fallitur Gruterus, qui eum Perpetuum esse putat, qui anno 237 cum Corneliano consul in fastis nominatur. Quo tempore nec consulares nec haec Tuscia fuerunt.

†) Quare non recte Wernsdorfius in prooemio p. 8 Lachanium proconsulari potestate Tusciae praefuisse dicit. Tres tantum ea aetate proconsules erant, duo in Oriente Asiae et Achajae, tertius in occidente Africae, de quo infra loquemur. Confundit iste prisca tempora cum recentioribus.

sint, ponam hic exempla nonnulla statuarum a Tuscis rectoribus suis collocatarum. Apud Grut. p. 460, 4 haec sunt: *P. Publilio Juliano correctori Tusciae et Umbriae ob insignia ejus gesta et illustre nominis et rationis meritum ordo Narniensium una cum civibus statuam collocaverunt patrono dignissimo.* Porro apud eundem p. 421, 1 haec inscriptio, quae in basi marmorea Interamnae inventa est: *Julio Eubulidae clarissimo viro correctori Tusciae decemviro praefecto Saturni ob illustria ejus merita et amorem juxta cives et ordo Interamnatium patrono*; denique apud eundem p. 474, 4 *Bettio Perpetuo Arzirio V. C. consulari Tusciae et Umbriae ob singularia ejus erga provinciales beneficia et ob moderationem pro documento etiam posteris relinquendam aeternum statuae monumentum Tusci et Umbri patrono praestantissimo collocaverunt aere publico.* Quare, si Namatianus dicit lib. 1, 575:

Laudibus amissi cogor lacrimare parentis,
Fluxerunt madidis gaudia moesta genis,

et paulo post:

Aeternas grates mutua cura canit,

haec de ipsis verbis, quae statuae basi inscripta erant, intelligenda sunt, non de sermonibus, quibus Lachanii memoriam celebraverint. Neque enim in sermonibus canitur, sed canitur in versibus, qui statuam ornant. — Supersunt haec verba Namatiani:

Fascibus et senis credita jura dedit.

Fasces consularium saepius commemorantur. Cassiod. Var. 6, 20 init. in formula consularis dignitatis: *secures enim et fasces, quos illius dicavit genio antiquitas, tuis videntur faleris deputati*; Cod. Theod. 9, 26, 4 *consularitatis fasces*; in inscriptione apud Grut. p. 424, 1 *Claudio Julio Pacato V. C. consulari Campaniae ob aequitatem judicii et patrocinia jam privati ordo Beneventanus patrono post fasces depositos censuit collocandam.* Sex autem fasces consularibus fuisse, quamvis ex ratione eorum, qui antiquis temporibus provincias regebant, conjici possit,

de his temporibus aliunde mihi non notum est. Caetera vero consularium insignia exposuit Pancirolus ad notit. dignit. orient. imp. c. 106 et occident. c. 50.

XV.

Neque vero Lachanius tantum consularis Tusciae fuit, sed ea prima ejus dignitas, postea multas alias majores adeptus est. Haec de eo canit Namatianus 1, 581:

Narrabat, memini, multos emensus honores,
Tuscorum regimen plus placuisse sibi.
Nam neque opum curam, quamvis sit magna, sacrarum
Nec jus quaesturae grata fuisse magis.
Ipsam, si fas est, postponere praefecturam
Pronior in Tuscos non dubitabat amor.

Primum igitur opes sacras curavit i. e. comes sacrarum largitionum fuit. Eodem modo Claud. de Fl. Theodoro cos. 38 *hinc sacrae mandantur opes.* Discernendus hic comes est a comite rerum privatarum, qui fisco principis praeerat. Ille curabat thesauros imperii ideoque in dispositione sua habebat comites largitionum, qui per singulas provincias pecuniae publicae praeerant, praepositosque thesaurorum, qui in maximis quibusque urbibus, veluti Romae, Mediolani, Aquilejae, asservabantur. Administrabat idem totam rem monetariam, quae per urbes imperii distributa erat, et metalla, praeerat denique textrinis, lanificiis, baphiis similibusque fabricis, quae in aulae et exercitus usum institutae erant. Plura invenies maxime apud Gutherium de off. dom. Aug. 3, 16. Porro Lachanius quaestor fuit, quam dignitatem a Constantino magno conformatam esse recte Zosimus 5, 32 scribit. De qua si plura desideras, adi potissimum Mansonem in libro germanice scripto de vita Constantini p. 159, qui brevissime et diligentissime dicit. Gutherius de off. dom. Aug. 2, 18 p. 277 miscet antiqua tempora cum recentibus adeoque turbat, ut, quamvis satis largam materiem congesserit, imaginem tamen dignitatis, qualis Namatiani aetate fuerit, efficere tibi nequeas. Praecipuum autem munus quaestoris erat, ut, quae princeps juberet, in legis formam redigeret, quod ut facere

posset, literarum peritus esse debebat, quare Symmachus Epp. 3, 17 quaesturam vocat *pontificium literati hominis,* et Cassiod. Var. 1, 12 *dignitatem et gloriam literarum.* Namatianus lib. 1, 172, ut Rufium Volusianum, de quo post dicemus, quaestorem fuisse significet, cum ait meruisse *principis ore loqui.* Simili modo Claud. de Fl. Theodoro cos. 34 quaestorem describit: *terris edicta daturus, supplicibus responsa venis; oracula regis eloquio crevere tuo nec dignius unquam majestas meminit sese Romana locutam.* Eademque fere habet Cassiod. Var. 6, 5 in formula quaesturae, ubi eam vocat *principis linguae vocem,* et quaestorem ait *ore principis populos admonere;* Sidon. Apoll. Carm. 5, 575 *quaestor cujus dignatur ab ore Caesar in orbe loqui;* id. 1, 26 *aut vestro* (i. e. principis) *qui solet ore loqui.* Denique Lachanius etiam praefectus fuerat; sed non additur, urbi an praetorio, et dubitant interpretes. Urbi tamen praefuisse puto. Si enim verba Namatiani accuratius consideras, quaeris, cur adjecerit hoc *si fas est.* Nullam aliam, opinor, ob causam, quam quod sanctitatem regiminis urbis Romae cum vulgari gubernatione alius populi comparare dubitabat. Quod si additum esse putas, ut major dignitas significaretur, cur in quaestore et comite sacrarum largitionum non adjecit illam religiositatis formulam? Porro si Namatianus lib. 1, 591 narrat Tuscos gavisos esse, quod ipse non degenerasset a patre:

Ipsum me gradibus non degenerasse *) parentis
Gaudent et duplici sedulitate fovent,

---

*) Gradus huic aetati sunt honores. Claud. epithal. Pallad. et Celer. 66 *per cunctos iit ille gradus aulaeque labores emensus;* Symmachus Epp. 9, 67 *ut tibi ad celsiores gradus januam pandas;* id. 9, 91; 10, 54 etc. Degenerandi verbum scriptores boni cum praepositione *ab* jungunt, poëtae cum accusativo. Ovid. ex Ponto 3, 1, 45 *hanc cave degeneres;* id. Metam. 7, 543 *equus degenerat palmas;* nam hanc lectionem tuentur fere codices; Propert. 5, 1, 79. Posteriores maxime poëtae dativum addunt. Manil. 4, 78 *degenerant nati patribus;* Stat. Theb. 1, 464 *et Marti non degenerasse paterno;* Claud. IV cons. Hon. 367 *et patri non degeneraret Achilli.*

indicare videtur, eosdem se atque illum gradus i. e. honores assecutum esse.

Jam pervenimus ad ea, quae aliunde de Lachanio nota sint. Atque hoc quidem nomen alias non inveniri jam supra indicavi. Sed Claudii aliquot commemorantur. Et relatus huc est is, qui in Cod. Theod. 2, 4, 5 vocatur consularis Tusciae anno 389. Neque, quamvis certa hujus rei argumenta non adsint et obloquantur Benedictini Mauriani in hist. lit. Galliae, qui similitudine nominis debile admodum argumentum effici putant, ut abhorream ab illa sententia, moveor, sed recte eam accepisse arbitror Gothofredum in Prosop. Cod. Theod. s. v. Certe nihil obstat, ne accipias, et in nominis similitudine est tamen aliquid, quod argumento sit simile. Alia est ratio, cum huc pertinere censent etiam eum Claudium, qui praefectus urbi Constantinopolitanae est in Cod. Theod. 6, 28, 8 et 15, 3, 1. Quem jam Corsinus ser. praef. urb. p. 293 sprevit; nihil enim Namatianum de oriente ejusque regionibus narrare, sed de sola Tuscia et Roma. Neque poëtam, qui alias similes res accuratissime explicet, siluisse puto, nisi eosdem patrem suum ac se ipsum honores assecutum esse videri voluisset. Adde ea, quae modo exposui *). At cum Lachanium circa annum 392 urbi Romae praefuisse Corsinus inde colligit, quod filius ejus anno 414 eadem dignitate functus sit, vel debili vel nullo argumento nititur. Eodem enim jure eum ad quemlibet alium annum, qui modo aliquantulum ab eo, quo filius praefectus fuit, distet, referri posse apparet. Habes etiam Claudium, qui comes sacrarum largitionum fuit intra annos 375-378 in Cod. Just. 11, 47, 2, quem eundem esse scimus atque eum, qui anno 374 urbi Romae praefuit (vide Corsinum l. l. p. 260), sed et tempus hujus longius abest, nec, si Claudium, qui anno 389 Tu-

*) Neque enim obstat, quod, si hoc acciperes, in imperio et occidentali et orientali idem vir honores gessisset. Id enim, illa praesertim aetate, qua imperia nondum in perpetuum sejuncta erant, licuit (vide Valesium ad Amm. Marcell. 14, 2, 20), postea non item. Vide §. XXIII.

sciam consularis rexit, huc refers, ille post illustrem praefecti urbis dignitatem eo descendere poterat, ut consularis fieret. Itaque cum caetera omnia de Lachanio incerta sint, ea sola nota, quae ex carmine Namatiani sumpta modo explicuimus.

XVI.

Post patrem *ad genus cognatosque Namatiani*, de quibus ipse narrat, deferimur. Nam cum discessum suum ab urbe describit, haec verba habet lib. 1, 207:

Tum discessurus studiis urbique remitto
Palladium, generis spemque decusque mei.
Facundus juvenis Gallorum nuper ab arvis
Missus Romani discere jura fori.
Ille meae secum dulcissima vincula curae
Filius affectu, stirpe propinquus habet.
Cujus Aremoricas pater Exuperantius oras
Nunc postliminium pacis amare docet;
Leges restituit libertatemque reducit,
Et servos famulis non sinit esse suis.

Agamus igitur primum *de Exuperantio*, patre Palladii, qui stirpe poëtae cognatus erat. Singulari de eo capite dicunt Benedictini Mauriani in hist. lit. Gall. T. II p. 141 et Wernsdorfius in excursu, quem loco Namatiani addidit, nonnulla nova profert. Sed in his idem accidit, quod jam supra monuimus, ut praeter ea ipsa, quae apud hunc poëtam narrantur, nihil fere sit, quod vel aliqua veri specie dicatur. Itaque mire de eo vagatur Wernsdorfius cum in aliis, tum maxime, ubi de patria ejus dicit. Namatiani enim patriam, quae hinc fere pendet, inde finiverat, quod Palladius, hujus Exuperantii filius, qui illum cognatione attingeret, Pictaviensis esset. Jam de Palladio nihil dicit nisi hoc, nihil de eo posse narrari *). Ubi autem de Exuperantio disputat, Benedictinos Maurianos eum pro Pictaviensi habere ait provocantes ad Phil. Labbei Novam Bi-

*) Confer, quae supra de Namatiani vita et infra de Palladio exposuimus.

bliothecam Vol. I p. 50, qui id referat. At nihil iste quidem refert, sed Prosper Aquitanus in chronico, quod eo loco imprimendum curavit Labbeus, sub Castino et Victore coss. i. e. anno 424 haec narrat: *hoc tempore Exuperantius Pictaviensis praefectus praetorio Galliarum in civitate Arelatensi militum seditione occisus est, idque apud Johannem inultum fuit.* Johannes autem, primicerius notariorum, anno ante, cum Honorius mortuus esset, purpuram sumpserat. Sed dubito tamen, num Exuperantius, praefectus praetorio Johannis, idem fuerit ac Rutilianus, nec, quod eadem sunt nomina, etiam homines iidem. Hunc enim militaribus muneribus functum esse statim demonstrabimus; ille, ut loquitur aetas illa, in partibus civilibus erat, nec haec ita commiscebantur, ut ab altero ad alterum transire liceret, et, qui initio ad militiam armatam pertinuerat, deinde ad munera civilia admitteretur. Vide vel eos viros, quorum dignitates Namatianus recenset, nec eundem invenies et militem fuisse et judicem. Omnia igitur illa, quae de patria et Namatiani et Palladii et Exuperantii dici solent, concidunt. Idem, quod modo exposui, movet me, ut, quae porro Wernsdorfius proponit, rejiciam. Qui quidem legem Arcadii, Honorii, Theodosii A. A. A., quae anno 404 data est ad Exuperantium, Julium et caeteros decuriales urbis Romae (Cod. Theod. 14, 1, 4), ad hunc Experantium refert eumque e decurialibus Galliae Lugdunensis *) in decuriam Romae allectum fuisse putat, unde ei ad alios honores et in urbe et in provincia gerendos ita viam esse patefactam, ut deinde ad summum magistratum in Aremoricis proveheretur. Verum hoc esse posset, si postea consularis vel vicarius vel praefectus praetorio fuisset; sed si primum curiae judex fuerat, deinde Aremoricae dux, quae militaris erat dignitas, fieri non poterat. Neque argumentum, quod Wernsdorfius profert, ita est validum,

*) Hic secum ipse Wernsdorfius pugnat; nam Exuperantius, si fuit Pictaviensis, non ad Lugdunensem Galliam, sed ad Aquitaniam pertinebat.

Exuperantium Rutilianum, qui Palladium filium Romam ad jura discenda mitteret, sine dubio et ipsum non vulgari eruditione et literarum amore praeditum fuisse. Atqui judicem curiae non esse electum, nisi qui in literis versatus et praecipuè eloquio probatus esset. Itaque eosdem videri esse Exuperantios. Ei certe, quem Rutilius commemorat, in Aremoricis eloquentia non opus erat, et filium Romam misit, ut non, veluti ipse, ad militaria, sed potius ad civilia munera se accingeret. Major fides iis tribui poterit, quae Benedictini in hist. lit. Galliae l. l. dicunt, eundem ac Namatiani videri esse eum Exuperantium, ad quem Hieronymi epistola 99 (Tom. I fol. 95 ed. Basil. 1516) extat. Ut argumentum epistolae indicemus, Erasmi verbis utamur: *Hortatur Exuperantium Hieronymus, ut relicta militia imperiali conferat se ad perfectam christiani vitam, unaque cum fratre suo Quintiliano Bethlehem commigret.* Militari igitur munere fungebatur ille Exuperantius, id quod, quamvis Wernsdorfius, qui poëtam non intelligat, obloquatur, convenit tamen in eum, qui Namatiano cognatus fuit. Neque me movet, quod porro iste dicit, illum christianum fuisse videri, idque in hunc, qui ab homine veterum sacrorum studiosissimo tantopere laudetur, non aptum esse. Nihil enim equidem inveni, quin de viro probo et justo, qui non esset christianus, aeque bene dici posset. Simul, si accipis hoc, habes etiam, qui alium locum poëtae explices. Is enim, ubi de insula Gorgona, quae plena erat monachorum et ascetarum, loquitur, haec verba habet lib. 1, 517:

Adversus scopulus *), damni monimenta recentis,
Perditus hic vivo funere civis erat.

---

*) Editiones veteres habent: *adversus scopulos*, quod frustra tuetur Castalio. Pulchrum est *aversor scopulos*, quod a viro docto in Observatt. Miscell. Vol. 3 p. 368 propositum recepit Wernsdorfius; sed longius tamen a vulgari lectione recedit. Itaque secutus sum Pithoeanum, quod nolim explicari cum Dammio *hic scopulus mihi erat odiosus.* Est potius: *ex adverso mihi erat scopulus;* nam propius se accessisse ad insulam ipse Namatianus postea v. 527 indicat, ubi

Noster enim nuper juvenis majoribus amplis,
Nec censu inferior conjugiove minor,
Impulsus furiis homines divosque reliquit,
Et turpem latebram credulus exul agit.

Quae omnia vides optime convenire cum iis, quae Hieronymus de Quintiliano, fratre Exuperantii, narrat, eum vitam asceticam acturum Bethlehemum venisse. Antea enim fortasse in Gorgonam insulam secesserat. Et quod poëta eum *suum juvenem* appellat, etsi fortasse etiam de eo, qui eadem sacra sequatur, intelligi potest, aptius tamen et accuratius de eo, qui etiam cognatione eum contingat, dicetur. Divitias et nobilitatem generis adscribi non mirum, quippe cum Exuperantius quoque non exiguo munere fungeretur et fortasse etiam nobili stirpe oriundus esset. Heinsius hic Paulinum quendam, cujus memoria ea aetate est celeberrima, significari putat, eique sane et divitiae et nobilitas fuerunt, idemque summis honoribus splenduit, sed et tum jam episcopatu fungebatur nec, qui accurate ejus vitam scripserunt, secessus in Gorgonam insulam mentionem faciunt. Itaque hunc quidem interpretes rejecerunt, de illo non cogitarunt et rem nimis ambiguam, quam de qua quidquam statui posset, esse putarunt. Sed si quem tamen invenire velis, neminem equidem novi, quem melius accipi posse arbitrer. — Alium denique Exuperantium huc referre solent, qui auctor est libelli de Marii, Lepidi ac Sertorii bellis civilibus *), idque prae caeteris Wernsdorfius pluribus argumentis probasse sibi visus est. Sed dubia tamen res est et de qua vel suspicari spinosum sit. Nam cum nec in libro ipso nec alibi ullum indicium, quo tempore

inde Triturritam se petisse narrat. Notio haec vocabuli *adversus* satis frequens, et apparet simul, cur erraverit librarius, quippe qui pro praepositione haberet. Mox retinui *agit*, quod Burmannus in *udit*, Wernsdorfius in *amat* mutabant. Suum enim videntur eripere Namatiano, qui corrigunt. 'Latebra non modo locus, ubi lateas, sed etiam ipsum latere. Lucret. 5, 750 *solis item quoque defectus lunaeque latebras.*

*) Vide editiones Sallustii curatas ab Havercampio Tom. II p. 221 et Frotschero Tom. I p. 251.

scriptus sit, inveniatur, sed ideo tantum, quod epitoma est historiarum Sallustii, ad hanc aetatem, quam breves tales historias epitomasque majorum operum adamasse constat, transferatur, pari jure etiam ad paulo priora tempora, quibus similis cupido longiora in brevius contrahendi erat, pertinere poterit. Neque dubium, quin tunc quoque multi Exuperantii iique docti et qui talem epitomam componere possent, fuerint. Atque si ex hac aetate quaeris aliquem, habes senatorem illum, qui est in Cod. Theod. 14, 1, 4, quem doctum literarumque non ignarum fuisse vel munus, quo fungebatur, indicat. Neque enim inde quidquam videtur colligi posse, quod Namatianus lib. 1, 295 Lepidi a Catulo victi et in Sardiniam pulsi aliorumque ejusdem gentis, qui, cum similia molirentur, simili etiam fato ceciderunt, mentionem facit, quarum rerum pars illo libello narratur. Quod si poëta ideo fecisset, ut ostenderet legisse se et accurate memoria tenere ea, quae scripsit Exuperantius, eum id etiam dicturum fuisse puto, ut solet, quae vel ipsius generi vel aliis, quos novit, laudi sint, plenissime explicare et praedicare. Accedit, quod causam, cur narret illa, addit etiam Namatianus, visisse se loca, in quibus olim Lepidus vinceretur, ideoque sermonem et in eum et in alios ejusdem nominis delapsum esse *). Quod denique, quia primum ejus libri exemplum in Gallia inventum sit, ibidem eum scriptum esse volunt, pariter labat. Etenim et multos libros alio loco inventos, alio scriptos esse constat nec video, cur non etiam in Gallia plures Exuperantii esse potuerint.

XVII.

Jam, quoniam, quod praeterea ad hunc Exuperantium recte pertinere possit, nobis nihil notum est, redeundum est ad verba Namatiani, quae jam supra posuimus, et quid his narretur, explicandum. In quibus admissa Sitzmanni conjectura

---

*) Confer, quae infra his de rebus diximus.

jectura scripsi *amare;* veteres enim editiones habent *amore.* Quod quidem Wernsdorfius defendere conatur hancque sententiam effici ait: „inducto pacis amore et compresso, qui adhuc fugas et seditiones suaserat, terrore docet eos postliminium, redire ad lares et domi quiete ac libere vivere." Sed vellem plenius iste sententiam suam explicasset; equidem non intelligo. Postliminium est illud quidem reversio et reditus, maxime ex captivitate, ac quae a nobis alienata sunt, cum ad hostem pervenerint et ex suo tanquam limite exierint, cum redierint ad idem limen, postliminio dicuntur redire (vide Cic. Top. 8; Digg. 49, 15, 5); sed quo tandem abierant Aremorici, ut redire ad limina sua et jure postliminii uti possent? Melius junges postliminium pacis; ea enim aufugerat quasi et admodum pulchre in ea idem dicitur accidisse, quod in hominibus, qui intercepti ab hostibus, cum redierint, in bona integra restituuntur. Simili modo locutus est Tertull. de pud. 15 *quale est enim, ut cum maxime incesto fornicatori postliminium largitus pacis ecclesiasticae statim ingesserit* etc. Sed *amore* sic nude relictum jam non placebit; itaque accipe Sitzmannianum *amare.* Neque enim vel difficilis est haec emendatio vel in Namatiano etiam difficilior est extimescenda. Ipsam rem, quam poëta tangit, Wernsdorfius negligentius tractat. Cum enim quaeratur, quando et quare eo tempore bellum in Aremoricis ortum sit, auctores quidem Gothos fuisse dicit, sed tempus et caeteras rationes non explicat. Nec Christoph. Browerus ad Venant. Fort. Carm. 3, 6, ad quem provocat, plura affert. Accuratius ille quidem, non rectius disputat Klinkhamerus in praefatione ad Pseudo-Plauti Querolum sive Aulularium (Amstelodami 1829) p. 29. In hac enim fabula (Act. 1, 2, 199) optat aliquis, ut liceat sibi nullis impedito legibus libere vivere ac violentiam impune exercere. Suadetur ei, ad Ligerim fluvium migret; ibi rusticos et privatos homines rerum potitos omnia ex ipsorum arbitrio tractare, licere omnia, vim haberi pro lege. Haec pariter atque ea, quae Namatianus narrat, iste refert ad ea, quae Eutrop. 9, 3, Oros. 7, 25

aliique tradunt, vixdum rerum potitis Diocletiano et Maximiano Armandum et Aelianum, collecta rusticorum manu, quos incerta nominis origine Bagaudas sive Bacaudas (utrum enim rectius sit, non liquet) appellarent, totam Galliam seditionibus miscuisse, eumque tumultum post complurium demum annorum spatium sedatum esse. Vide eadem de re Lipsii Excursum ad Tac. Annal. 3, 43 et interpretes ad Mamertini Panegyr. Maximiano dictum 4, 3. Sed hae turbae cum anno 285 acciderent *), certo non usque ad annum 416 durarunt, ita ut et Pseudo-Plautus ille, quem iste sub Constantino vixisse putat, et Namatianus easdem dicere videri possint. Oppressae sunt illae quidem a Maximiano et deinde a Constantino, denuo tamen inceperunt, cum initio quinti saeculi imperium Romanum in Gallia languesceret. Zosimus enim 6, 2 narrat Sarum Honorii imperatoris ducem, cum anno 408 primum prospere res in Gallia gessisset, dein autem a Constantino, qui tum eam terram in suam potestatem redigebat, premeretur, Bagaudis, ut salvo Italiam intrare liceret, omnem praedam concessisse et emisse quasi transitum. Eosdemque Bagaudas commemorat Salvian. Massil. de gubernat. dei 5, 5 et 6 p. 105 (ed. Steph. Baluzii) eorumque miserias ac calamitates multis verbis effert. Sed neque hi Bagaudae, ut ex loco Zosimi, quem modo attulimus, patet, vel ad solum fluvium Ligerim vel ad oram Aremoricam habitabant, et praedonum magis ac latronum quam gentis nomen erat. Itaque has quidem turbas Namatianus non dixisse videtur. Totam autem rem aperit Zos. 6, 5. Is enim narrat, exeunte anno 408 Gerontium, ducem Constantini imperatoris, qui in Galliis regnabat, defecisse barbarosque prope habitantes, Vandalos, Suevos, Alanos ad invadendum imperium Romanum excitasse. Πρὸς οὓς οὐκ ἀντισχὼν ὁ Κωνσταντῖνος,

---

*) Errat vero Klinkhamerus, cum sub Diocletiano et Maximiano rem accidisse dicit. Nam Diocletianus ob has ipsas turbas Maximianum primum Caesarem, deinde, cum Carausius, qui in Britannia bellum movebat, accederet, Augustum nominavit, ut refert Orosius.

πάντα κατ' ἐξουσίαν ἐπιόντες οἱ ὑπὲρ τὸν 'Ρῆνον βάρβαροι κατέστησαν εἰς ἀνάγκην τούς τε τὴν Βρεταννικὴν νῆσον οἰκοῦντας καὶ τῶν ἐν Κελτοῖς ἔθνεα ἔνια τῆς 'Ρωμαίων ἀρχῆς ἀποστῆναι καὶ καθ' ἑαυτὰ βιοτεύειν, οὐκέτι τοῖς τούτων ἐπακούοντα νόμοις· οἵ τε οὖν ἐκ τῆς Βρεταννίας ὅπλα ἐνδύντες καὶ σφῶν αὐτῶν προκινδυνεύσαντες ἠλευθέρωσαν τῶν ἐπικειμένων βαρβάρων τὰς πόλεις καὶ ὁ 'Αρμόριχος ἅπας καὶ ἕτεραι Γαλατῶν ἐπάρχιαι Βρεταννοὺς μιμησάμενοι κατὰ τὸν ἴσον σφᾶς ἠλευθέρωσαν τρόπον ἐκβάλλουσαι μὲν τοὺς 'Ρωμαίων ἄρχοντας, οἰκεῖον δὲ κατ' ἐξουσίαν πολίτευμα καθιστᾶσαι. Quando autem hae turbae et a quo sedatae fuerint, accurate dici nequit. Fortasse Constantius, dux vere Romanus, qui anno 411 ab Honorio in Gallias missus est, uti caeteros tyrannos vicit, ita etiam hunc tumultum finivit. Gothi vero, qui anno 412 Athaulpho duce Italiam reliquerant, quia potissimum juxta mare internum migrarunt, exiguam tantum partem Aremoricorum tetigerunt *). Eosdem populos etiam post Namatiani tempora ferociores fuisse et saepius seditiones movisse colligi licet ex vita S. Germani Autissiodorensis c. 15 (Phil. Labbei biblioth. nov. Tom. I p. 538).

XVIII.

Rem habes; jam videndum de homine, quod munus in Aremoricis gesserit. Wernsdorfio incertum est, quae dignitas vel potestas ea sit, quam Exuperantio Namatianus tribuat, praefectus praetorio vel vicarius Galliarum an tertiae Lugdunensis rector fuerit. Simili modo etiam Tillemontius (histor. imp. Rom. Tom. V p. 820 not. 43 in Honor.) judicat; quoniam tamen poëta majus quiddam indicare videatur, eum praefectum praetorio vel vicarium Galliarum fuisse mavult. Addit, certum esse, Aremoricos latius patuisse quam Lugdunensem tertiam. Idque rectissime monet. Longum est quidem de Aremorica sive Armorica **) dicere,

*) Confer, quae infra diximus de Tolosa capta.

**) Armoricam vocant plerique scriptores, Zosimus l. l.; Caes. bell. Gall. 7, 75; Oros. 6, 11; Aremoricam Plin. hist. nat. 4, 17 et poëtae.

quae antiquitus nominata sit, et de nominis origine, quae explanari haud scio an nequeat, disputare (vide ea de re interpretes ad Caes. bell. Gall. 7, 75 et Plin. hist. nat. 4, 17), id tamen constat, Aremoricam nominatam esse eam partem orae Gallicae, quae fere inter Garumnam et Ligerim esset. Nos vero non tangunt, nisi quae Namatiani tempore fuerunt. De quibus praeclarum est testimonium notitiae dignitatum imper. occident. p. 137 (ed. Pancirolus Genevae 1623), ubi haec verba: *extenditur tractus Aremoricani et Ebruicani* **) *limitis per provincias quinque, per Aquitaniam primam et secundam, Senoniam* (quae eadem Lugdunensis quarta nominabatur), *secundam Lugdunensem et tertiam* i. e. a Sequana usque fere ad Pyrenaeos montes. Haec litora Namatianus oras Aremoricas appellat. Praeerat autem iis dux militaris. Consulares enim vel potius praesides (nulla enim harum provinciarum a consulare regebatur) singulis illi quidem regionibus praeerant et judicum munere in iis fungebantur, sed omnes praeterea dux militari imperio gubernabat. Si praefectum praetorio vel vicarium Galliarum, quibus tot aliae provinciae parebant, Namatianus significare volebat, nescio cur solas oras Aremoricas nominaverit. Accedit, quod militare potius imperium quam civilis magistratus populos seditiosos in libertatem restituit. Neque exigua erat dignitas du-

---

Sid. Apoll. Carm. 7, 370 *quin et Aremoricus piratam Saxona tractus sperabat;* Auson. Epp. 9, 35 *sunt et Aremorici qui laudent ostrea ponti;* id. profess. 10, 24.

**) Accipiendam esse censeo hanc emendationem Scaligeri ad Auson. Epp. 9, 32. Vulgo legitur *Nervicani*, quod etiam Pancirolus non recte, opinor, defendit. Quidquid enim de Nerviorum sedibus, de quibus multum in utramque partem disputatur, statuitur, hoc constat, eos ultra Sequanam habitasse, cui regioni dux Belgicae praeerat. Quod porro Scaliger objicit *Nervianum* potius quam *Nervicanum* eum tractum dicendum fuisse, acutius quam verius, isto praesertim tempore. Neque magis probari poterit, quod, quia Aquitanici tractus nulla mentio fiat, lacunam in notitia dignitatum eo loco esse putat. Plinius certe hist. nat. 4, 17 Aquitaniam prius Aremoricam nominatam esse tradit, eaque regio, etsi postea latius patebat, illam tamen sine dubio complectebatur.

cis, qui vicarium fere aequaret. Itaque etiam hoc habes, quod majus quiddam poëta videtur indicare. Si plura de ducibus desideras, adi Pancirolum ad notit. dign. imp. orient. c. 139, de Aremoricae duce eundem ad notit. dign. imp. occid. c. 86. Superest, ut explicemus, quid sibi velint haec verba Namatiani:

Leges restituit libertatemque reducit,
Et servos famulis non sinit esse suis.

Duas novi explicationes, ut *famulos* aut de Gothis, qui servire deberent Romanis, sed tunc dominari viderentur, aut de ministris vel comitatu praesidum intelligamus, quos rapinis et furtis totas saepe regiones vastasse constat, maxime ex Salviano Massil. lib. VI. At quamquam, si alterutra eligenda esset, in hanc inclinarem (illam enim frustra a Browero ad Venant. Fortunatum Carm. 3, 6 p. 62 defendi quilibet videt*), neutram tamen ut probem moveor. Etenim hoc illius belli Aremoricani proprium erat, quod inferior populi pars, cum accederent barbari, ejectis magistratibus Romanis dominatum arripiebat, et nobilissimos quosque ac ditissimos vel exilio vel servitio premebat. Quod quidem colligi licet et ex Zosimo et ex vita Germani Autissiodorensis l. l. Simili modo etiam postea, cum anno 414 Gothi Burdigalam invaderent, servorum seditio, qua nobiles maxime et divites peterentur, orta est. Itaque hoc dicit poëta, Exuperantium veterem rerum rationem restituisse, ut famuli et servi suis quisque dominis parerent, nec amplius mutato ordine iis imperarent.

Et haec quidem de rebus Exuperantii dicenda erant. In quibus quoniam Klinkhameri et Pseudo-Plauti mentionem injecimus, adnectam aliud, quod eodem pertinet. Etenim ex iis, quae modo disputavi, apparet praecipuum**)

*) Etiamsi ipsa verba hanc interpretationem admitterent, tamen accipi nequiret. Nam anno 416 Gothi in Hispanias transierant, ibique pro imperio Romano pugnare inceperant. Itaque Exuperantius eos domare non amplius poterat.

**) Alterum enim, quod Servius, qui ad Aen. 3, 280 Plauti Querolum laudat, in suae aetatis scriptore (nam etiam Servius sub Theo-

argumentum, ob quod Klinkhamerus Querolum ad aetatem Constantini vel Diocletiani referendam esse censuit, concidere. Neque enim video, cur non Plautus ille isto loco seditionem Aremoricanam, quae item ad Ligerim erat, dicere possit, in qua Zosimus etiam τὸ καϑ' ἑαυτὰ βιοτεύειν καὶ κατ' ἐξουσίαν πολίτευμα καϑιστάναι commemorat. Et poterunt haec ita disputari, ut simul Rutilium, cui fabula illa dedicata est, hunc ipsum Rutilium Claudium Namatianum esse arbitrere, quae vulgaris est opinio. Quamquam ea quidem nulla ratione utitur, sed notissimum quemvis Rutilium ex aetate illa arripuit. Sed poterunt tamen quaedam quasi argumenta afferri. Auctor Queroli significat patronum suum esse philosophum, qui Academico more, quod libitum fuerit, destruere et asserere soleat. Namatianus vero lib. 1, 17 philosophum omnino agit, quantum quidem poëtae agere liceat. Tum ille Rutilius eos, qui fata sua deplorent, dicitur ridere consuevisse, hic gravissime in eos, qui relicta vita publica in solitudinem secesserant, invehitur (vide lib. 1, 440 et 517). Amorem porro patriae, quem semper prae se fert, quomodo hic melius ostendere poterat, quam si ejus patronus fieret, qui antiquas fabulas componeret? Divitiae denique et honores, quae illi, etiam huic fuerunt. Addit Wernsdorfius illustrem vocari illum, hunc praefectum urbi et magistrum officiorum fuisse, easque dignitates esse illustres; praeterea ad praefectum urbis etiam curam spectaculorum pertinuisse. Vides multa convenire, quae rem suadeant. Nihilominus mihi non dubium, quin eodem jure etiam negari possit. Multa enim eorum, quae allata habes, talia sunt, quae sententiam jam acceptam et probatam confirmare, ipsa nihil valere posse videantur. Praeterea, ut fatear, quod sentio, oratio et genus dicendi illius fabulae meliora quam pro Namatiani ae-

---

dosio et Honorio vixit) adeo errare non potuerit, ut eum cum vetere Plauto confunderet, admodum est debile. Etenim et incertum est, Servius an alius quis illa ad Virgilium notaverit, et fabulae auctor prolog. v. 7 comoediam suam nominat *investigatam Plauti per vestigia*, unde error facilis erat.

tate videntur esse; ii enim omnino errant, qui quinto vel sexto p. Ch. saeculo eam scriptam esse putant.

XIX.

Exuperantii filius fuit *Palladius*, quem vulgaris opinio pro Palladio Rutilio Tauro Aemiliano, notissimo rei rusticae scriptore, habet. Rationem, quae subsit, nescio aliam, quam quae ex nominis similitudine petita sit, et quod cum verbis Namatiani, qui Palladium sibi *stirpe propinquum, affectu filium* fuisse significat, Palladius Rutilius convenire videbatur. Itaque etiam Wernsdorfius in notis ad poëtam ab ea stetit; postea autem mirifice nostram curiositatem decipit (Poëtt. lat. min. Tom. VI p. 15 seqq.). Ubi enim ad probandam rem pervenit, cum eam confici non posse videret, abjecit et nihil certi dici posse confessus est. Neque id equidem vitupero, nam nec ipse quid dicam habeo nec quemquam allaturum puto. Adeo enim frequentes Palladii illa aetate, ut, etiamsi de iis plura, quam nota sunt, sciremus, tamen singulos distinguere difficillimum foret. Accedit, quod plurimorum non omnia, sed unum tantum nomen novimus, unde, illis praesertim temporibus, conjici quidquam omnino nequit. Nam praeter scriptorem rei rusticae eum solum Palladium, qui anno 416 consul fuit, ex inscriptione apud Reines. Cl. VI, 54 discimus Junium Quartum Palladium pleniore nomine vocatum esse. Eundem esse arbitror, ad quem Symmachi epistola (Epp. 9, 1) extat et quem multis praeterea honoribus sub Honorio functum esse ex codice Theod. cognoscimus. Diversus ab his rhetor celeberrimus Palladius, qui saepius apud Symmachum commemoratur (Epp. 1, 9; 1, 88; 3, 50), cujus *pompam* laudat Sidon. Apoll. Epp. 10, 5. Qui num idem sit atque is, cujus epitaphium a patre Nicephoro positum invenitur apud Grut. p. 699, 12 *), du-

*) Idem epitaphium recepit Burmannus Anthologia Lat. 4, 220. En ipsum: *Ut te, Palladi, raptum flevere Camoenae, fleverunt populi, quos continet Ostia dia.* Animadverte *Palladi* tribus longis syllabis dici; Namatianus alio modo eoque rectiore posuit.

bium, quamvis arbitretur Wernsdorfius. Si jam quaeris, quem in Namatiani Palladium transferre possis, habes eum, qui praefectus praetorio anno 458 sub Majoriano vocatur in Novell. Cod. Theod. 4, 4. Nam cum ille dicatur jura fori Romani didicisse, eum postea civilia munera capessivisse patet. Tempus autem convenit. Palladius enim, cum Namatianus Roma proficisceretur, sine dubio nondum vigesimum quintum annum excesserat, usque ad quem juvenes juri et liberalibus studiis operam dare solebant (Cod. Just. 10, 49, 1). Usitatum autem erat, ut, qui in Gallia, ubi illa aetate summam literarum celebritatem fuisse constat (vide Savaron. ad Sid. Apoll. Epp. 3, 3 et 4, 21), studiorum decursum absolvissent, deinde Romam, quod *domicilium legum* (Sid. Apoll. Carm. 1, 6) erat, ad jus discendum proficiscerentur. Augustin. confess. 6, 8 *Romam processerat, ut jus disceret*; Constantius in vita S. Germani init. *atque ut in eum perfectio literarum plena conflueret, post auditoria Gallicana intra urbem Romam juris scientiam plenitudini perfectionis adjecit.*

XX.

Porro fortasse ad familiam, certo ad patriam eandem cum Namatiano pertinet *Victorinus* quidam, de quo praeter ea, quae poëta ipse narrat, nihil notum est. Nam neque in inscriptionibus neque in legibus neque in scriptoribus illius aetatis ulla ejus invenitur mentio. Itaque his omissis illa eo accuratius perquirenda et quae latent eliciendа sunt. Tolosanus autem fuit Victorinus, id quod aperte dicit Namatianus lib. 1, 495:

Errantem Tuscis considere compulit agris
Et colere externos capta Tolosa lares.

Et paulo post de eodem:

Hunc ego complexus ventorum adversa fefelli,
Dum videor patriae jam mihi parte frui.

Quando autem Tolosa capta et a quo? Recte ab Athaulpho ait Wernsdorfius, sed si eundem ibi regnum condidisse addit, non accurate dicit; id enim postea demum a Wal-

lia factum est. Athaulphus vero cum anno 412 Italiam reliquisset et vindemiarum tempore (cf. Idatii chronicon h. a.) Narbone potitus esset, anno insequenti Tolosam precibus Exuperii episcopi aliquamdiu defensam cepit ac vastavit, deinde Burdigalam concessit. Loquitur hac de re praeter Namatianum etiam Hieronym. Epp. 11. Non multo post Gothi relictis illis regionibus sive sponte sua sive pulsi a Constantino in Hispanias abierunt, ut ibi cum Vandalis et Alanis bellum gererent. Quare eo quidem tempore, quo Namatianus revertebat, libera erat illa pars Galliae nec quidquam Victorinum prohibebat, quominus rediret. Sed nolebat fortasse, quod iterum periclitari dubitabat et, uti antea magnis, ita tunc paucis contentus erat. Audi poëtam lib. 1, 497:

Nec tantum duris nituit sapientia rebus,
  Pectore non alio prosperiora tulit.
Conscius Oceanus virtutum, conscia Thule,
  Et quaecunque ferox arva Britannus arat,
Qua praefectorum vicibus frenata potestas
  Perpetuum magni foenus amoris habet.

Narrat igitur poëta, quam dignitatem, antequam Tolosam et inde in Tusciam abiit, Victorinus habuerit. Neque tamen hic locus nec ab antiquioribus nec a recentioribus interpretibus recte intellectus est, qui, dum huic aetati veterum temporum modum adhibent, maximam partem decepti sunt. Et Burmannus quidem omnino aberrat, cum potestatem, quam Victorinus gessit, eo putat fuisse frenatam i. e. cohibitam et deminutam quasi, quod non unus semper praefectus esset, sed alius alii succederet. Nam nec praefectus est Britanniae vel potius Britanniarum, nec commodum est commemorari, quam coërcita fuerit potestas, quam latissime patuisse summum honorem ac laudem affert ei, qui gessit. Aliquanto melius Barthius, quem Wernsdorfius sequitur, vicarium, qui dicitur, Britanniarum significari sensit, sed ne ii quidem de caeteris recte judicant. Nam *frenatam vicibus praefectorum potestatem* intellexerunt, quae imperio superiori et dispositione praefectorum praetorio

quasi freno adstricta et temperata esset. At nec vices sunt munera et idem hic obstat, quod in priori explicatione. Quare *vicibus* idem esse puta quod *pro*. Praefectus urbi judicat *vice sacra* i. e. pro imperatore, et ipsi vicarii dicuntur *agere vicem praefectorum* (Amm. Marcell. 15, 4, 10) vel *agere vices* (Cod. Theod. 2, 33, 1 *ad Dracilianum agentem vices praefectorum praetorio* *), Cassiod. Var. 11, 4) et *vice praefectorum cognoscere* (Cod. Theod. 11, 30, 16). Itaque iidem vicarii vocantur *pro praefectis*, rarius *pro praefecto* (Cod. Theod. 16, 10, 15; Amm. Marcell. 23, 1, 2; 29, 1). Plura vide apud Valesium ad Amm. Marcell. 14, 5, 7 et Gothofredum ad Cod. Theod. 2, 23, 2. Jam *frenata potestas* erit gesta, administrata. Amm. Marcell. 23, 1, 5 *Maximinus regens quondam Romae vicariam praefecturam*. Sid. Apoll. Carm. 5, 564 *si praefecturae quantus moderetur honorem*; id. Carm. 7, 1 *praefecturam primam gubernavit cum magna popularitate consequentemque cum maxima populatione*. At porro consideranda sunt Namatiani verba. Quid enim Oceanus conscius est virtutum vicarii Britanniarum? Nescio equidem; nam in Oceano si quid agendum erat, id ad ducem, non ad vicarium Britanniarum pertinebat. Poëta tamen suo jure, quae terrae finitimae essent Britanniis, eas conscias esse eorum, quae Victorinus gessisset, dicere poterat, ideoque etiam Thulen **), quam ex communi Romanorum opinione in septentrione Britanniae collocat, nominavit. Insequuntur haec: *et quaecunque ferox arva Britannus arat*. Omnes antiquae editiones habent *quicunque*; Castalio correxit *quaecunque*, quod accipere non dubito. Mitto quod vocabulum *arva* sic nude positum placere non poterit; considera potius Britannos non fuisse diversos, ut

---

*) Graece hoc expressit Constantinus in epist. ad Macarium: Δρακιλιανῷ τῷ διέποντι τῶν λαμπροτάτων ἐπάρχων μέρη.

**) Vide de Thule, fabulosa illa insula, maxime Mannerti geographiam veterem Vol. I p. 78 seqq. et Vol. II p. 265 et Bernhardium ad Dionys. Perieget. v. 581 p. 685.

omnes complecti poëta vellet, sed diversa fuisse arva, quae incolebantur. Etenim tota insula in quinque provincias dividebatur, Maximam Caesariensem, Valentiam, quae a consularibus, Britanniam priorem et alteram, Flaviam Caesariensem, quae a praesidibus regebantur. Conjunctis his imperabat vicarius Britanniarum, qui ipse subjectus erat praefecto praetorio Galliarum *). Plura de vicario narrant Pancirolus ad notit. dignit. imper. occid. c. 69 et Gothofredus in notit. dignit. Cod. Theodos. Quanta autem cum laude Victorinus munus suum gesserit, deinde multis Namatianus praedicat, in quibus adnota vocabulum *partis,* quod vel mutabant interpretes, vel non intellexerunt. Fallitur enim Burmannus, qui de ipso munere accipit, eamque notionem colligit ex Sid. Apoll. Epp. 1, 9. Opponitur quidem *pars civilis* (Vegetius 1, 5) vel *partes civiles* (Cod. Theod. 11, 18, 1; Symmach. Epp. 9, 112) *parti armatae* (Sid. Apoll. l. l.); sed cum sic, qui non sint milites, a militibus discernantur, aliam vocabuli partis significationem esse apparet. Neque vero *sors*, quod ex priscis temporibus, ubi sortiebantur provincias, depromptum Heinsius malebat, necessarium est. Etenim *pars* illa aetate saepe idem valet, quod *regio, terra.* Cod. Theod. 11, 16, 12 *partes suburbicariae* i. e. regiones ad dioecesin urbicariam pertinentes; ibid. 7, 6, 3 *partes Orientis;* ib. 15, 1, 49. Plures locos congessit Gothofredus in Glossar. Nomico Cod. Theod. s. v. Deinde animadverte nomen *rectoris,* quod proprium est eorum, qui singulas provincias administrant, sive sunt consulares sive praesides, hic latiore sensu positum. Amm. Marcell. 15, 3, 7 vocat *rectorem secundae Pannoniae*, quem eundem 16, 8, 3 nominat *consularem*; ibid. 18, 7, 3 *rector Mesopotamiae* dicitur, quem *praesidem* fuisse constat ex notitia dignit.

---

*) Ceterum decipitur Wernsdorfius, qui verba Auson. Mosell. 408 ad vicarium Britanniarum pertinere putat. Quo loco Freherius, qui praefectos praetorio Galliarum et Italiae indicari arbitratur, rectius videtur judicare.

imp. orient. c. 114 *). Itaque si accurate loquare, vicarius rector nominari nequit, nam hic illi parebat (Cod. Theod. 1, 6). Sed non mirum, vocabulum, cujus sensus usu magis quam origine coartaretur, aliquando etiam latius patuisse. Vide Amm. Marcell. 22, 14, 6, ubi praefectus Augustalis Aegypti, cui sex praesides obediebant, rector nominatur.

Neque tamen Victorinus, cum pulsus esset a barbaris ex patria, sive quod gratia multum valebat, sive quod caetera munera praeclare gesserat, ab imperatore neglectus est, sed paulo post illustratus, quem dicunt, honorem accepit, qua de re sic Namatianus loquitur:

Illustris nuper sacrae comes additus aulae
Contempsit summos ruris amore gradus.

Etiam hic locus non recte ab interpretibus intelligitur. Wernsdorfius post multa alia, quae pariter non accurate disputata sunt, haec, quibus summam opinionis suae exprimat, habet, hic intelligi comitem domesticorum, domesticum vel palatinum, uti nominent Eutrop. 10, 9, 1 et Zosim. 5, 47 et plures inscriptiones, fuisseque hunc in ordine virorum illustrium **). Legendum esse Gutherium de offic. dom. Aug. 1, 10 et 17. Sed vereor, ut probare queat, quae dixit. Etenim et Victorinus antea vicarius fuerat, ideoque ad magistratus civiles pertinebat, nec functum eum esse eo munere, quod ei oblatum esset, dicit poëta. Denique non video, cur potissimum comitem domesticorum fuisse Victorinum iste putet, cujus rei equidem nulla video vestigia. Erant praeterea comites sacrarum largitionum et

*) Vide etiam supra §. XII, ubi Franciscus Marianus, quod hanc notionem ignorabat, deceptus est.

**) Nescio, cur Gothofredus in notit. dignitt. Cod. Theod. comites domesticorum (duo enim erant, alter peditum, alter equitum) spectabilibus adnumeret, cum saepius illustres vocentur, Cod. Theod. 12, 1, 38; Cod. Just. 12, 16, 1. Vide Pancirolum ad notit. dignit. imp. orient. p. 139. Infimum tamen in quindecim illustribus dignitatem obtinebant, ut ex ordine, quo in notitia dignitatum utriusque imperii recensentur, apparet.

rerum privatarum atque alii, qui item illustres essent. Quomodo autem ea, quae Namatianus dicit, intelligenda sint, significat lex celeberrima Theodosii et Valentiniani A. A. Cod. Just. 12, 8, 2. Cum enim comites iique illustres nominentur non ii soli, quorum quasi proprius titulus est comitum, ut comitum sacrarum largitionum et rerum privatarum ac comitum domesticorum peditum et equitum, sed, quicunque summis apud imperatorem dignitatibus funguntur, eo nomine ornentur, ibi tria genera comitum illustrium discernuntur *), unum eorum, qui re vera munus aliquod gerant, qui dicuntur in actu positi, alterum eorum, quibus ob merita ita illustratus honor detur, ut simul spes vel oblatio ipsorum munerum fiat, quibus vacantibus nomen est, tertium denique honorariorum, qui vel ambitu vel gratia merum honorem adipiscantur, unde eorum appellatio. Vacantium et honorariorum rursus duo erant genera; nam aut absentibus aut praesentibus illustratus deferebatur. Jam si Victorini res sortemque, quas poëta narrat, consideras, vides eum ad eos vacantes comites illustres pertinuisse, quibus absentibus cingulum delatum esset. Nam de profectione ejus nihil tradit Namatianus, nec puto eum, qui rus adeo amaret, ad aulam imperatoris abisse. Donabatur igitur ei, cum in Tuscia exul ruri viveret, illustratus, simul munus aliquod offerebatur vel spes ejus ostendebatur. Utrumque tamen ille sprevit et otium ac vitam privatam publicae praetulit.

XXI.

Rerum ordo nos ducit ad *Rufium* quendam *Volusianum*, amicissimum Namatiano, cui adeo dedicatum esse ejus carmen vulgaris opinio est. Omissa autem hac quae-

---

*) Qui plura hac de re, quam equidem adhibeo tantum ad locum Namatiani explicandum, scripserunt, duos nomino, Gothofredum, qui ad Cod. Theod. 6, 18, 7 plenissime et accuratissime, ac Ch. G. Hauboldum in dissertatione praeclara de consistorio principum Spec. II (Lipsiae 1789) c. 7 §. 4 p. 33, qui brevissime nec minus accurate disserit.

stione, quam alio loco aptius tractabimus, nunc de nomine, dein de genere, postremo de dignitatibus, quas gessit, disputabimus. Et nomen quidem apud ipsum poëtam plenius explicatur, qui, ubi discessum suum ab urbe describit, praecipue Rufii Volusiani amicitiam praedicat lib. 1, 167:

Jamque aliis Romam redeuntibus haeret eunti
Rufius, Albini gloria viva patris,
Qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen,
Et reges Rutulos, teste Marone, refert.

Itaque nomen ei erat Rufio Volusiano. Etenim testimonium Maronis, ad quod provocat, invenitur in Aen. 11, 46 *Tu, Voluse armari Volscorum edice maniplis. Duc, ait, et Rutulos.* Sed Volusorum gentem ignoro, nota contra Volusiorum, ex qua multi celebres fuerunt et in libera re publica et sub primis imperatoribus; hinc orti sunt Volusiani, quos solos Namatiani aetate novi, summis honoribus conspicui. Sed tertium etiam nomen Rufio addi solet *Venerii*, quod et in inscriptione carminis, quae in antiquioribus editionibus est, et in versu lib. 1, 421, unde tota res manasse videtur, habes. Ibi enim, postquam nonnulla de praefectura urbis, quam Rufius Volusianus capessiverat, dicta sunt, haec vulgo verba leguntur:

Optarem verum complecti carmine nomen,
Sed quosdam refugit regula dura pedes.
Cognomen versu, Veneri *) carissime Rufi,
Illo te dudum pagina nostra canit.

Priore disticho Volusiani nomen significari apparet, quod, quia tres primas syllabas breves habet, in hexametrum recipi nequit. In altero major difficultas, nam nec, quomodo jungenda sint singula verba, nec, qui sensus inde efficiatur, elucet. Itaque omnes uno impetu interpretes hunc locum obruerunt fere emendationibus, quas referre et longum est et inutile. Etenim in eo maxime peccasse videntur, quod,

*) Nonnulli scribunt etiam *Veneris* ita, ut ambitu quodam verborum Venerii nomen indicari putent, *qui proprius quasi sit Veneris.* Sed accuratiores tamen malunt *Veneri.*

quae mendi sedes esset, non viderunt, sed multis modis vagantes nunc hoc nunc illud vocabulum, quod rectissimum erat, mutabant. Primo Castalioni Venerii nomen suspectum fuit; emendavit tamen: *cognomen versans, Veneri carissime Rufi.* Rectius judicarunt Heinsius, qui malebat *cognomen versu, a teneris carissime Rufi,* et Tob. Dammius, qui scripsit *cognomen versus servet, carissime Rufi.* Sed illud, nisi plura mutas, pariter vitiosum, hoc et nimis recedit ab iis, quae tradita sunt, et servandi verbum singulari modo adhibet. Utroque igitur spreto Wernsdorfius posuit *cognomen versu veniat* etc. idque optimum, quod noverim. Solent enim poëtae veniendi verbo eo modo uti (Ovid. Trist. 4, 10, 25) et facit fortasse etiam aliquid, quod Namatianus Ovidium videtur esse imitatus, qui ex Ponto 4, 12 similem nominis difficultatem, quod versui non aptum erat, simili modo removet. At enim quaeris, cur potissimum Venerii verbum suspectum sit, id quod nisi aliunde probetur, ex hoc certe loco non appareat. Neque verum omnino est, quod Venerii nomen illa aetate vel usitatum vel honestum fuisse quidam negant *). Ipse Wernsdorfius Venerios aliquot, qui in Gruteri inscriptionibus inveniuntur, affert, deinde Juliam Veneriam, amitam Ausonii, clarissimi et nobilissimi viri, quam hic Parent. c. 27 celebrat, praeterea Venerium Diaconum, ad quem Fulgentii Ruspensis epistola 15 (vide ejus Opera Paris. 1684) data est. Addere poteris Venerium, episcopum Narbonensem, qui circa Valentiniani III. consulatum sextum (i. e. anno 475) commemoratur apud Grut. p. 1059, 1 et Venerianorum aliquot, qui in inscriptionibus inveniuntur, memoriam. Itaque Venerii nomen est illud quidem et usitatum et honestum, sed nihilo magis ab Rufio Volusiano, de quo Namatianus loquitur, abjudicandum. Etenim in tota ejus familia, quatenus eam investigari liceat, nemo invenitur, cui Venerii nomen fuerit. Quod quo magis appareat, quoad

*) Dammius adeo servile fuisse dicit, idque ex Ciceron. divinat. in Caecil. 17 colligit. Sed error ejus jam notatus est a Wernsdorfio.

fieri potest, eam prosequamur *). Rufii patrem ipse poëta appellat Albinum, et jam Corsinus in ser. praefect. urb. p. 288 et Wernsdorfius in nota ad Namat. lib. 1, 167 observarunt videri esse eum, qui Cejonius Rufius Volusianus praefectus urbi iterum (circa annum 390) vocatur apud Grut. p. 285, 8, quam inscriptionem Gothofredus non recte ad Valentiniani III. tempora refert **). Idem porro videtur Cejonius Rufius Volusianus, ex vicario Asiae, cujus parentes apud Grut. p. 28, 5 (Murat. p. 292, 1) nominantur Cejonius Rufius Volusianus, ex praefecto praetorio atque ex praefecto urbi, et Caecinia ***) Lolliana. Itaque plenum ejus nomen erit Cejonius Rufius Albinus Volusianus. Hujus pater, cui uxor Caecinia, circa annum 365 urbi praefuit †), et praenomen Gaji habuit (Grut. p. 286, 2), avus est Cejonius Rufius Albinus (Grut. p. 387, 3; Murat. p. 375, 3) idem, qui anno 335 cum Julio Constantio consul fuit ††), proavus C. Cejonius Rufius Volusianus, cujus dignitates, correctura †††) Italiae, proconsulatus Africae,

---

*) Eadem de re disputarunt prae caeteris Corsinus variis locis in serie praefectorum urbis, Gothofredus Prosopographia Cod. Theod., Wernsdorfius in notis ad carmen Namatiani. Nos ita omnes secuti sumus, ut nullius rationem totam probaremus.

**) Vide Ritterum ad Gothofred. Prosopograph. Cod. Theod. s. v. et Corsinum l. l.

***) Sic emendandum esse censeo. Apud Gruterum est *Caecina*, quod cum ferri nequire videret Gudius, correxit *Cejonia;* sed non solebant uxores maritorum nomina habere. Vide Kannegieterum de mutata nominum Romanorum sub principibus ratione c. 15 p. 80. Itaque scribe *Caecinia;* cf. Gruter. p. 795, 10; 776, 10.

†) Vide Corsinum ser. praef. urb. p. 229 et 239.

††) Confer de hoc Gothofr. Chronolog. Cod. Theod. h. a. Erat etiam alius Cejonius Rufius Albinus, illius sine dubio frater, qui anno 341 vicarius Hispaniarum (Cod. Theod. 11, 36, 5) et anno 345 consul cum Amantio fuit. Uter pater Volusiani fuerit, non videtur posse discerni.

†††) De hac correctura Italiae supra diximus §. XII.

cae, praefectura urbis *), consulatus, quem iterum gessit cum Anniano anno 314, enumerantur apud Grut. p. 387, 3. Fallitur autem Wernsdorfius, si Caeciniam Lollianam, quae mater fuit Albini, quem Namatianus commemorat, filiam vel sororem esse putat Caecinae Decii Albini, qui praefectus urbi dicitur apud Grut. p. 287, 2, quem equidem eundem esse suspicor, qui anno 402 praefectus urbi nominatur in Cod. Theod. 7, 13, 15 **). Nam Cejonius Rufius Volusianus, conjux Caeciniae, anno 365 urbi praefuit. Vides igitur, quomodo tempora congruant. Neque opus est, ut inde explicemus nomina ejus Albini, qui est apud Namatianum, ita ut eum ab avunculo vel ab avo materno Albinum appellatum esse putemus. Nam ex stemmate, quod proposuimus, apparet, in Volusianorum familia nepotes semper eadem cum avis habuisse nomina, id quod moris erat veteribus. Quid igitur huic genti, quam vides accurate sese excipere, Venerii nomen immiscetur? Desideras nullum amplius nomen, sed recte procedunt omnia. Quod si cum ipsius versus illius ratione, qui alio modo sanari non bene poterit, conjungis, efficitur, ut nullum dubium esse videatur, Namatiani amico fuisse nomina Cejonio Rufio Volusiano.

XXII.

De patre ejus *Albino* nec Namatianus quidquam amplius tradit, nec praeter ea, quae jam supra attulimus, ne aliunde quidem plura nota sunt. Gothofredus ad eum pertinere putat Symmachi Epist. lib. 8, 25, quae inscripta est Albino cuidam. Idque per temporis quidem rationem accipi potest, sed, cum nec in epistola illa certa quaedam argumenta, unde probabilis fiat conjectura, inveniantur et Albinorum nomen aetate illa frequentissimum sit, in medio rem relinqui praestat. De Rufio igitur potius, quae nar-

---

*) Vide Corsinum l. l. p. 165 et 169.

**) Hic Albinus ex alia omnino gente erat, ut vel ex caeteris ejus nominibus apparet. Disputabimus de eo §. XXIII.

rantur, consideremus. Et primum quidem fuit proconsul Africae. Sic enim poëta lib. 1, 173:

Rexerat — puer *) populos pro consule Poenos,
Aequalis Tyriis terror amorque fuit.

Noli hoc intelligere de tota Africa, cui praefuerit ille; nam proconsuli ea tantum regio, quae Romanis proprie erat Africa, parebat, cujus caput Carthago, illius sedes. Major haec dignitas erat quam consularis aut correctoris. Neque enim subjectus erat proconsul vicario Africae, sed tantum praefecto praetorio Italiae, ideoque vicariorum dignitatem fere aequabat. Deinde de eodem Rufio haec verba:

Hujus facundae commissa palatia linguae,
Primaevus meruit principis ore loqui,

quibus quaestura indicatur, quam, postquam proconsul fuit, gesserat. Noli vero priore versu ita decipi, ut Rufium eo ipso anno, quo Namatianus scripsit, quaestorem fuisse arbitrere. Cum enim Honorius imperator per totum annum 416 Ravennae habitaret **), quaestor autem non esset, nisi

---

*) Quamvis haererent in hac voce interpretes, non recte tamen explicuerunt. Non enim huc pertinet, quod Sitzmannus affert, *pueros* nonnunquam esse consules factos, id quod de infantibus adeo dici potest, cum constet Constantinum juniorem, filium Constantini magni, anno 317 p. Ch. natum continuo esse Caesarem factum et tribus annis post cum patre fuisse consulem, similiaque exempla habeas apud Amm. Marcell. 25, 10, 11; Claud. de IV. cons. Hon. 154. At enim in consulatu *honos sine labore* suscipitur, proconsuli autem provincia erat gubernanda, quod nec infans nec puer, quem nos dicere solemus, poterat. Itaque *puer* de adolescentulo est accipiendum. Quamquam non multum probant exempla Barthii, ubi *puer* vel in re amatoria vel de servis dictus est. Neque afferri potest puellam dici, quae jam nupta sit. Sed uti notum est veteres in adolescente diversam a nobis aetatis rationem secutos esse, sic etiam de puero aliter senserunt. Caesar Octavianus cum undeviginti annos natus esset, vocatur *puer* apud Cic. Epp. 12, 25, 5; similique modo Curio apud eundem Epp. 2, 1 extr. Lege etiam Drakenborchium ad Sil. Ital. 4, 462, ubi Scipio, qui septendecim annos natus tum exercitui praeerat, *puer* nominatur. Quare noli cum Burmanno corrigi *pater*.

**) Vide Gothofredum in Chronologia legum ad Cod. Theod. h. a. Caeterum de quaestore, qui *principis ore loquitur*, supra diximus §. XV.

in aula, Rufius etiam Ravennae esse debuisset, nec Romae consuetudinem cum Namatiano habere potuisset, ut habuisse constat. Sed, quando quaestor fuerit, dici nequit. Tertius ejus honor est praefectura urbis, quae ei delata est, dum Namatianus Populonii commoratur. Hic enim lib. 1, 416 sic canit:

Hic praefecturam sacrae cognoscimus urbis
Delatam meritis, dulcis amice, tuis.

Itaque cum poëta initio mensis Octobris Roma abisse et circa Calendas fere Decembres Pisis fuisse videatur *), patet illud, quod narrat, medio fere mense Novembri factum esse. At in Cod. Theod. 14, 10, 4 est lex Honorii A. pridie Id. Decembres anni 416 Ravennae data ad Probianum, praefectum urbis. Igitur Rufius destinatus modo est ad praefecturam; auspicatus est postea, fortasse anni insequentis initio. Quamquam certo hoc dici nequit; quocunque enim tempore libuit imperatoribus, mutati sunt praefecti urbis. Denique haec de Rufio lib. 1, 176:

Sedula promisit summos imitatio fasces **);
Si fas est meritis credere, consul erit.

Quod num ei contigerit necne, incertum est. In fastis certe non legitur nec alia ejus rei mentio, quamvis, si nobilitatem generis et quam magnos honores adolescentulus vel puer, ut poëta nominat, adeptus fuerit consideras, veri sit simile. Parem autem primaevitatem atque in Rufio infra etiam in Albino Namatianus laudat lib. 1, 469:

Non exspectatis ***) pensavit laudibus annos,
Vitae flore puer, sed gravitate senex.

---

*) Confer supra §. III. Ibidem vide etiam, quid hinc interpretes ad tempus, quo profectus sit Namatianus, finiendum collegerint.

**) Summi fasces sunt consulatus. Fasces enim ipsam dignitatem significant; Sid. Apoll. Epp. 3, 6 *ita namque fascibus vestris gratamur omnes;* ibid. 2, 13 *per amplissimos fascium titulos*, saepius; cf. Casiod. Var. 1, 3. Consulatus autem summa dignitas, vide Cod. Theod. 6, 6 cum paratitlo et commentario Gothofredi.

***) In omnibus editionibus legitur *exspectatos.* Sed anni exspectati venerunt Rufio, non item laudes i. e. honores. Itaque non du-

Neque alia exempla rara sunt illa aetate. Apud Grut. p. 449, 7 Petronius Maximus, qui anno 420 urbi praefuit, primaevus in consistorio sacro tribunus et notarius nono decimo aetatis anno meruisse, deinde per triennium comes sacrarum remunerationum *), postea praefectus urbi sex menses fuisse, hasque omnes dignitates intra vigesimum quintum aetatis annum assecutus esse dicitur **). Eadem primaevitas praedicatur in Vincentio Celso, qui anno 401 consul erat, apud Grut. p. 462, 1 et in Tarrutenio Maximiliano ib. p. 471, 8. — Adjicienda sunt alia, quae huc pertinent. Sirmondus enim ad Sid. Apoll. 9, 16 p. 103 et Tillemontius hunc Rufium Volusianum putant esse eundem, ad quem Constantii imperatoris epistola de edicto adversus Pelagianos et Coelestium anno 420 data est (vide Baronii Annales h. a.). Addunt auctores histor. liter. Galliae Tom. II p. 171 esse eundem, qui S. Augustini literis celebretur, et quem S. Melaniae patruum fuisse narret Photius c. 53. Adjicere poterant esse eum, qui praefectus praetorio est anno 428 in Cod. Theod. 7, 13 ult., porro eum, qui, cum antea diis veteribus addictus esset, christianus factus est a S. Proclo, episcopo Constantinopolitano, anno 434. Et re vera haec omnia in unum Volusianum rectissime conferuntur, sed Reinesius et post eum Corsinus ser. praef. urb. p. 341 observarunt, hunc esse potius eum, qui apud Grut. p. 193, 10 vocatur Rufius Antonius Agrypnius Volusianus. Et diversum fuisse ab Rutiliano vel inde patet, quod cum eum et a. 421 et a. 434 urbi praefuisse constet, ille autem anno 416 praefectus urbi dicatur, ter idem munus obisse putandus esset, cujus rei nullum omnino est vestigium. Neque amicitia ejus cum

---

bitavi suum poëtae reddere. Caeterum adde hunc locum iis, quos infra §. XXXIII attulimus.

*) i. e. largitionum. Confer quae §. XV disputavimus.

**) Hic Petronius Maximus idem est, qui Valentiniani tertii ab ipso interfecti uxorem Eudoxiam invitam in matrimonium duxit et, postquam menses aliquot imperavit, occisus est.

S. Augustino cognatiove cum S. Melania in eum videntur convenire, quem Rutilius, qui veteribus sacris deditus fuerit, tantopere amare et laudaré possit.

XXIII.

Jam ad *Albinum* deferimur, quem Namatianus, quod sibi in praefectura urbis successerit, suum nominat lib. 1, 466:

> Albini patuit proxima villa mei.
> Namque meus, quem Roma meo subjunxit honori,
> Per quem jura meae continuata togae.

Extat hujus Albini, praefecti urbis, memoria etiam in Cod. Theod. 13, 5, 38, quae lex anno 414 a. d. XV. Cal. Oct. data est *). Ad eundem pertinebit inscriptio, quae est apud Murat. p. 466, 3 et similis, quam habet Grut. p. 286, 7, in quibus sub Honorio et Theodosio altero Caecina Decius Acinatius Albinus praefectus urbi commemoratur. Nam certe intra annum 408 et 423, per quod tempus illi regnarunt, nullus alius Albinus, praefectus urbi, notus est. Ejusdem denique mentio fit apud Olympiodorum (Script. hist. Byzant. ed. Bonnensis Tom. I p. 458; ed. Paris. p. 9), qui post urbem a Gothis captam, cum acquiessent res, et aucta esset multitudo urbana, Albinum, praefectum urbi, imperatori scripsisse narrat, non sufficere portionem, quae populo praeberi soleat. Atqui illa ipsa lex Honorii, quam laudavimus, est de re annonaria urbis Romae. Relatus huc est etiam Caecina Albinus, quem Macrobius in Saturnalibus **) loquentem facit, maxime a Wernsdorfio ***) et Gothofredo Prosop. Cod. Theod. s. v. Albinus. Corsinus ser. praef. urb. p. 313, cum alias audeat aliquid, hic timidior factus propter tenebras, quibus tota res involuta

---

*) Quid hinc de tempore, quo Namatianus praefuerit urbi, colligi possit, supra exposuimus §. VI.

**) Vide maxime lib. 1, 2.

***) In Poëtt. lat. min. Tom. III prooemio p. 23, ubi miro modo horum Albinorum familia cum Deciis, de quibus proxime infra dicemus, miscetur.

est, nihil discernit. Qua in re, ut quid veri dici posse videatur, appareat, antea inquirendum est, quo tempore sermo, qui in Saturnalium libris exponitur, habitus sit. Colloquuntur Posthumianus, provectior jam aetate, cum Decio quodam adolescentulo. Posthumianus hic sine dubio idem est, quem anno 381 praefectum praetorio in imperio orientali fuisse ex multis legibus codicis Theod. constat *), cujus nobilitatem pariter atque eruditionem summis laudibus extollit Libanius Epp. 956. De Decio statim videbimus. Sermo inter eos est de convivio, quod nuper, i. e. ut ex verbis Macrobii apparet, ante paucos fortasse menses, apud Vettium Praetextatum fuerit, cui Posthumianus affuerat. Vettius ille Praetextatus, cui plenum nomen Vettio Agorio Praetextato (vide Gruterum p. 486, 3 et 1102, 2), idem est, qui cum anno 367 praefectus urbi Romae et anno 384 praefectus praetorio Italiae fuisset, anno 385 mortuus est eodem tempore, quo consul designatus est **). Quas res, quae solae adhiberi possunt (caeteri enim homines, qui commemorantur, ex his definiendi sunt), si consideras, vides convivium illud circa annum 380, certe non post habitum esse. Interfuerunt ei praeter alios, ut Servium ***) et Furium Albinum, etiam Aurelius Symmachus, notissimus illorum temporum rhetor, et Caecina

*) Noli turbari, quod Posthumianus praefectus praetorio in Oriente dicitur, apud Macrobium autem Romae loquens introducitur. Theodosii enim aetate decursus honorum per orientem et occidentem miscebatur. Vide supra §. XV.

**) Hoc, quod dixi, apparet ex epistolis Symmachi (10, 23 et 24 et 25), qui initio praefecturae suae urbanae ad imperatores de morte hujus Praetextati refert. Symmachus autem praefectus urbi fuit annis 384, 385 et 386; cf. Corsinum ser. praef. urb. p. 281. Caeterum Praetextati frequens mentio illa aetate; vide de eo Gothofr. in Prosop. Cod. Theod. et Corsinum l. l. p. 243.

***) De eo haec verba: *Servius inter grammaticos doctorem recens professus juxta doctrinam mirabilis et amabilis verecundiae — sequebatur.* Corrige hic mendum, quod miror adhuc in editionibus servatum esse. Scribendum enim est: *juxta doctrina mirabilis,* quod vitii genus frequens est.

Albinus cum aetate tum etiam moribus inter se conjunctissimi. Hunc Caecinam Albinum Gothofredus *) eundem esse putat Caecinam Decium Acinatium Albinum, quem successisse sibi in praefectura narrat Namatianus. Sed nescio, qui iste aetatis rationem expediat. Symmachum haud multo post annum 404 satis senem decessisse constat; Caecinam Albinum ei annis parem fuisse Macrobius narrat; Albinus autem Rutilii admodum juvenis est anno 414. Quare illa quidem opinio abjicienda est. Jam videamus de Decio, quem Macrobius habet. Gothofredus eum habet pro eodem, ad quem sunt Symmachi Epp. lib. 7, 35—39 et quem hic Flaviano filio suo anno 402 in praefectura urbana successisse narrat. Sed etiam plura addi possunt. Idem Decius, praefectus urbi, invenitur in Cod. Theod. 7, 13, 15, quae lex anno 402 data est; ad eundemque referenda erit inscriptio, quam habet Grut. p. 287, 2, ubi sub Honorio et Arcadio commemoratur Caecina Decius Albinus, praefectus urbi; nam alius ejusdem nominis illo tempore non notus est **). Atqui si hujus Caecinae Decii Albini nomen cum Caecina Albino, qui est apud Macrobium, confers, verisimillima fit conjectura, illum hujus esse filium, eaque res, quamvis non viderit Gothofredus, ex ipso Macrobio firmatur. Apud quem Decii pater nominatur Albinus et convivio illi interfuisse dicitur, quod dum exponit Posthumianus, inter eos, qui affuerint, nominat Caecinam, Symmachi amicum, et Furium Albinos. In his igitur Decii pater quaerendus, qui, quin Caecina fuerit, si nominum similitudinem adhibeas, dubitari non quit. Jam quaeris, quid hinc ad Namatianum redundet. Hoc certe, ut Albinus, qui anno 414 admodum juvenis poëtae in praefectura urbana successit, De-

*) Eandem sententiam proponit Tillemontius in hist. imp. Rom. Tom. V p. 526.

**) Gothofredus hanc inscriptionem ad eum Albinum refert, quem Rutilius commemorat, id quod falsum esse vel inde apparet, quod Arcadius anno 408 mortuus est.

cii illius filius, Caecinae autem Albini, Symmacho amici, quem Macrobius nominat, nepos esse videatur. Genus Albini habes, sed potest etiam dici, quos porro honores gesserit. Idem enim videtur esse, qui in Cod. Theod. 5, 1, 7, quae lex anno 426 data est, vulgo vocatur praefectus praetorio. Sed et Ritterus ad h. l. eundem in melioribus codicibus rectius praefectum urbis appellari notavit et jam Corsinus l. l. p. 345 errorem detexit et sustulit *). Idem Albinus, cum anno 439 a Valentiniano ad bellum inter Romanos et Gothos componendum in Gallias missus esset, cum Aëtio contentionem perniciosam rei publicae habuit (vide Prosperum Aquitanum chronico h. a.), deinde ab anno 443 per triennium praefectus praetorio Italiae fuit, eandemque dignitatem iterum anno 447 adeptus est, postremo anno 444 consulatus et duobus annis post patriciatus honore donatus est. Vide de his rebus Ritterum ad Novell. Cod. Theod. 1, 22, qui non immerito has omnes dignitates in unum illum Albinum, quem anno 414 Namatianus *flore vitae puerum, gravitate senem* dicat, videtur conferre.

XXIV.

Sequitur *Decius* ejusque pater *Lucillus*, quorum laudes Namatianus lib. 1, 599 habet. Uberius de iis exponit Wernsdorfius Poët. Lat. min. Tom. III prooem. p. 22, sed in eo maxime peccat, quod omnia, quae ad Caecinas Decios Albinos referenda esse modo vidimus, ad hunc Decium ejusque patrem pertinere arbitratur. Pater Lucillus prior nobis considerandus, de quo Namatianus ita canit:

Hujus vulnificis satira ludente Camenis
  Nec Turnus potior nec Juvenalis erit.
Instituit **) veterem censoria lima pudorem,
  Dumque malos carpit, praecipit esse bonos.

---

*) Deceptus tamen est Wernsdorfius Poët. Lat. min. Tom. III prooem. p. 24.

**) Omnes a Castalione interpretes scripserunt *restituit*, idque usitatius. Sed non desero, quod traditum est. Instituere pudorem est

Itaque Lucillus poëta satiricus fuit, potior vel par, ut poëta judicat, Turno aut Juvenali. Turnus etiam ab aliis celebratur. Commemorat eum prae caeteris scholiasta ad Juvenal. Sat. 1, 20: „*Turnum dicit Scaevae Memoris, tragici poëtae, fratrem. Turnus hic libertini generis ad honores ambitione provectus est, potens in aula Vespasianorum Titi et Domitiani*". Fragmentum ex ejus satiris idem affert ad Juvenal. 1, 70. Nobiles ejus libellos (Epigr. 7, 97, 8) et ingentia ejus pectora, quae ad satiram contulerit, Martialis (Epigr. 11, 10) laudat; inter poëtas recenset etiam Sid. Apoll. Carm. 9, 267. Praeter Casaubonum de satir. Graec. poësi et Rom. satira lib. 2 c. 3 p. 232 (edit. Rambachii) et Vossium de poëtt. lat. p. 48 plenissime de eo disputat Wernsdorfius Poët. Lat. min. Tom. III prooem. p. 59, eique fragmentum satirae in Neronem tribuit, quod quo jure fecerit, discernere non audeo. Facilius enim talia dicuntur quam probantur. Wernsdorfius igitur, ut redeamus ad Lucillum, hunc, cum proprio nomine, sicuti filius, et ipse Decius vocaretur, a satiris, quas ad modum veteris Lucilii scriberet, Lucilli cognomen accepisse putat *). Quam conjecturam nimis levibus vel nullis potius argumentis niti cum ipse postea sensisset, mutavit opinionem (Poët. Lat. min. Tom. IV p. 824) et illi proprium nomen Lucilli concessit. Addit autem videri esse eum, de quo Fulgentius Planciades de prisco sermone s. v. ramentum sic loquatur: *Quintus Fabius Lucullus epico carmine: vilissimum ramentum, proluviosa pestis.* Ibi enim pro *epico* legendum esse *ethico*, quo nomine illa aetas poëtas satiricos appellare consueverit;

---

formare cupere, id agere, ut existat pudor. Docendi notio hic non apta; homo enim instituitur aliqua re, res docetur. In antecedenti autem disticho non intelligo editores, qui sic distinguunt verba: *hujus vulnificis, satira ludente, Camenis.* Junge potius deletis commatibus *hujus satira, quae vulnificis Camenis ludit.*

*) Miro errore Casaubonus de satirica Graec. poës. et Rom. sat. 2, 3 p. 240 pro Lucillo Decium in poëtis satiricis numerat. Si totum locum, maxime v. 613 legisset, aliter judicasset.

Luculli vero nomen idem esse ac Lucilli. Sic effici, ut Lucullus Planciadis et Lucillus Namatiani iidem sint. Et argumenta quidem haec non refutamus, quae, qualia sint, quilibet videt. Sed vel nomen ipsum Q. Fabii Luculli si quis, qui modice nominum Romanorum sub principibus mutatorum rationem noverit, consideret, poëtam illum multo antea vixisse intelliget. Iis enim nominibus, quae prisco more praenomine, nomine, cognomine efficerentur, Namatiani aetas non amplius usa est. Simile est, quod Wernsdorfius huc refert Lucillum, cujus in Anthologia graeca sint epigrammata aliquot, σκωπτικά et διασυρτικά pleraque, quem Fabricius Biblioth. Graec. Vol. II p. 719 (ed. Harless. Vol. IV p. 480) extrema parte saeculi quarti vixisse ostendat. Sed quantum equidem viderim, non Lucillo isti, ut Rutiliano, sed *Lucillio* nomen est, quare res, quae alias aperta esset, turbatur. Etenim praeter aetatem epigrammata in poëtam satiricum conveniunt, neque insolitum est poëtis latinis graece scribere. Exemplo est Claudianus, poëta celeberrimus, cujus permulta extant epigrammata graeca (vide Fabric. Bibl. Graec. ed. Harless. Vol. IV p. 457), antea Hadrianus imperator, alii. Sed vix in anthologia corrigendum est; nam etiam Lucilliorum nomen illa aetate non rarum in inscriptionibus. Rectius agere videntur, qui Lucillum, cui scripta est epistola Symmach. lib. 8, 21, eundem cum Rutiliano esse putant. Etenim ille quoque homo eruditus et literarum amans fuit, nec modo ita, ut foveret, sed ut ipse etiam scriberet libros. Porro Namatianus de Lucillo haec habet:

Non olim sacri justissimus arbiter auri
Circumsistentes reppulit Harpuias? etc.

Comes sacri auri est comes sacrarum largitionum, de quo supra diximus *). Quae autem Harpyiae illae? Wernsdor-

*) Erat in imperio occidentali etiam comes auri, qui proprie vocaretur, cujus quae munera fuerint, non satis liquet. Sed inferior hic magistratus erat, nec ei, qui postea majores honores petiturus esset, dari solebat. Vide plura de eo apud Pancirolum ad notit. dignit. imp. occid. c. 35.

fius dici putat avaros et iniquos judices et praefectos, qui aerarium variis fraudibus expilarint. Sed quid judicibus aut praefectis cum aerario vel comite sacrarum largitionum? Et unum quidem genus hominum illa aetate est, nobile fere furtis ac rapinis, quod aptissime Harpyiarum diceretur, agentium in rebus, qui vocantur. Pertinebat ad eos cura exigendorum vectigalium, eaque in re adeo pessima quaeque facinora perpetrabant, ut Julianus aliquando eos penitus delere voluerit (vide Liban. Orat. in Jul. mort. p. 294 seqq. ed. Morell.). Lege praeterea de iis insignes locos apud Amm. Marcell. 16, 5 et Victor. de Caes. c. 39. Sed quamquam illi etiam sub aliis magistratibus militabant, magistro tamen officiorum jus erat eos puniendi eorumque libidinem coërcendi. Accedit, quod Namatianus ipse, quos dicat, indicare videtur, cum inter custodes furta volare ait. Ii igitur ipsi, qui custodire debebant, comites largitionum in dioecesibus, rationales in provinciis, praepositi thesaurorum in maximis quibusque urbibus furabantur. Quamquam horum rapacitas, cum nec ulla lex cod. Theod. de ea coërcenda sit nec alibi ejus mentio fiat, non ita nota est. Sed in ingenti tamen illorum temporum pravitate non mirum, si hi quoque in pejora inclinabant. Praeter ea, quae Namatianus narrat, nulla certa Lucilli extat mentio. Tillemontius hist. imp. Rom. Tom. V p. 661 legem Cod. Theod. 12, 6, 30 huc refert, ubi Lucius quidam comes sacrarum largitionum anno 408 commemoratur, qui idem anno 413 consul fuit loco Heracliani ob seditionem ex fastis erasi. Idque eo maxime motus, quod magistratum, qui tam egregie munere functus esset, latere non posse putabam, et ipse aliquando cogitavi, ideoque, qui probari posset, quaesivi. Etenim, ut in mulieribus constat eandem dici Domitiam et Domitillam, Claudiam et Claudillam (cf. Kannegieter. de mutat. nom. Rom. sub. princ. rat. p. 8), ita idem fortasse etiam in viris admitti posse putabam. Praeterea Decii nomen, quod Lucilli filio erat, in Albinorum familia usitatissimum ad eandemque referre poteris Lucium sive Lucillum; nam Lucius Albinus invenitur apud

Grut. p. 878, 1. Nolim tamen haec ita disputare, ut pro certis habere videar; praestat enim de Lucillo praeterea nihil notum esse profiteri. Decius, filius ejus, consularis Tusciae et Umbriae erat a. 416, idque munus tanta laude gerebat, ut Namatianus, ubi Lachanium patrem praedicat, eum tamquam simile quoddam exemplum integri et probi rectoris laudet lib. 1, 599:

Qualis nunc Decius, Lucilli nobile pignus,
Per Corythi populos arva beata regit.

Praeter hoc nihil de eo notum est. Magnopere enim Wernsdorfius fallitur, qui eum esse putat, qui apud Grut. p. 287, 2 nominatur Caecina Decius Albinus, praefectus sub Honorio et Theodosio, eundemque a Macrobio in Saturnalibus loquentem fingi. Quae falsa esse ex iis, quae antecedenti paragrapho disputavimus, satis apparet.

XXV.

Supersunt duo viri, de quibus dicendum est. Prior *Messalla* a Namatiano laudatur lib. 1, 271:

Hic est, qui primo seriem de consule ducit,
Usque ad Poplicolas si redeamus avos.

Primus consul est P. Valerius Poplicola, qui in locum Collatini ob nominis invidiam pulsi electus est. Wernsdorfius dicit potuisse adjici, eum genus repetere ab eo, qui primus praefectus urbi fuerit i. e. a M. Valerio Messalla Corvino, quem Augustus (anno a. U. 729), cum praefecturae urbanae ordinarium honorem institueret, primum urbi praeposuit. Addit ex vetere inscriptione, hunc, de quo Namatianus loquitur, Fl. Valerium Messallam nominatum esse. Sed nec affert illam inscriptionem nec, ubi inveniatur, dicit, et dubito fere num recte dixerit; equidem certe, quamvis multum quaererem, reperire non potui. Pergit poëta de Messalla:

Hic et praefecti nutu praetoria rexit,
Sed menti et linguae gloria major inest.
Hic docuit, qualem poscat facundia sedem,
Ut bonus esse velit, quisque disertus erit.

Wernsdorfius igitur eum anno 398 praefectum praetorio Italiae fuisse dicit, quod, unde habeat, nescio. Etenim jam anno 396 in Cod. Theod. 11, 30, 55 praefectus praetorio Italiae nominatur, eumque aut satis diu aut saepius eo munere functum esse leges multae codd. Theod. et Just. demonstrant, quae annis 399 et 400 et 403 datae sunt *). Ad eundem sunt multae epistolae Symmachi (lib. 7, 81—92), qui etiam praefecturae ejus mentionem facit lib. 7 epist. 80 et 90, eique multorum amicorum causas commendat. Praeterea Messallam inter scriptores paulo prioris aetatis commemorat Sid. Apoll. Carm. 9, 302:

Paulinum, Ampeliumque Symmachumque,
Messallam ingenii satis profundi.

Quod video a plerisque ita accipi, ut Messallam poëtam fuisse arbitrentur, eique rei ex ipso Namatiano praesidium quaerunt. Qui, ubi de aquis Taurianis, quas visit, agit, haec narrat:

Haec quoque Pieriis spiracula comparat agris
Carmine Messallae nobilitatus ager;
Intrantemque capit discedentemque moratur
Postibus affixum dulce poëma sacris.

Sed apparet, hic de paucis versiculis, qui in fronte aediculae inscripti erant, sermonem esse, idque etiam eum potuisse facere, qui alias poësi non daret operam. Illum enim non fuisse poëtam colligi potest ex Symmacho, qui, quamvis saepe ejus facundiam praedicet, de poëtica laude, quam meruerit, nihil habet. Etiam Namatianus ipse, si accurate ejus verba consideres, oratorem solum laudat; nec magis Sidonius, dum Symmacho jungit, poëtam indicare voluit.

Ultimo loco dicendum est de *Protadio*, cujus probitatem et integritatem eximiis laudibus effert Namatianus lib. 1, 542. Uberius de eo dicunt Benedictini Mauriani

---

*) Falsam esse inscriptionem legis Cod. Just. 1, 54, 6, ubi Messalla anno 388 praefectus praetorio nominatur, demonstravit Gothofred. in chronolog. Cod. Theod. h. a. et in prosopograph. s. v.

in historia liter. Galliae Tom. II p. 134, et Wernsdorfius peculiari excursu. Neque habeo fere, quod addam, quare mihi breviori esse licebit. Fuit autem una cum Florentio et Minervio fratribus amicissimus Symmacho, qui multas ad eum epistolas scripsit, unde eum Treviris (Namatianus Gallum nominat) oriundum fuisse, sed saepe etiam per Italiam migrasse discimus. Neque abhorruit a literis, quarum adeo amans erat, ut etiam ipse historiam Galliae componere vellet, ideoque Symmachum, ut sibi libros, maxime C. Caesaris commentarios et Plinii bella Germanica mitteret, rogaret. Etiam honores summos adeptus est, de quibus sic Namatianus:

Sit fortasse minus, si laudet Gallia civem,
Testis Roma sui praesulis esse potest.

Igitur praefectus urbi fuit, quem honorem ei gratulari videtur Symmachus Epp. 4, 23. Quando fuerit, incertum, sed ante Florentium, opinor, juniorem ejus fratrem, qui inde ab anno 395 per triennium urbi praefuit; vide Corsinum l. l. p. 297. Postea in patriam reversus inde a barbaris pulsus est:

Substituit patriis mediocres Umbria sedes;
Virtus fortunam fecit utramque parem.

Cum enim anno 407 barbari Rheno trajecto Gallias intrassent, etiam Treviri maxime a Francis, qui regionem illam insederant, adeo vexati sunt, ut Salvianus Massil. de gubernat. dei lib. VI init. eos quater captos esse narret. Recentissime autem anno 413 vel 414 (non enim liquet) a Francis post Jovinum tyrannum, quem hi adjuverant, necatum cum magna urbis pernicie expugnati sunt. Quare Protadius in praedia patria, quae in Umbria habebat, se recepit, ibique in otio, ut videtur, et vita privata consenuit. At quae ista Umbria, in qua ille habitabat? Neque enim tum erat provincia, quae sic vocaretur, et Namatianus indicare videtur, Pisis se invenisse Protadium. Wernsdorfius tum forte ad negotia quaedam curanda Pisas venisse putat; de Umbria quid sentiat, non addit. Alii, maxime Franciscus Marianus Etruria Metrop. c. 6 p. 37 et Corsi-

nus l. l. p. 300 eam Umbriam dici opinantur, quae circa Umbronem fluvium sit, quam regionem sic vocari testetur Plin. hist. nat. 3, 5. Et habet haec opinio, quo commendetur, sed vix illi id etiam de hac aetate probare poterunt. Itaque puto Protadium praedia quidem in Umbria, quae antiquitus vocatur (nam etiam hoc tempore nomen illud, vulgari praesertim sermone, in usu fuisse vel ea, quae supra §. XII exposuimus, demonstrant), possedisse, ipsum vero vel semper vel hieme Pisis habitare esse solitum.

XXVI.

Et haec quidem de viris, quos Namatianus commemorat, dicenda erant. Sequitur, ut paucos locos, unde vel ad notitiam *historiae illius aetatis* aliquid redundet vel qui, nisi res, quae tum gerebantur, adhibeas, intelligi nequeunt, consideremus. Primus locus est, ubi poëta causam exponit, cur mari, non terrestri itinere profectus sit, lib. 1, 39:

Postquam Tuscus ager, postquamque Aurelius agger,
Perpessus Geticas ense vel igne manus,
Non silvas domibus, non flumina ponte coërcet,
Incerto satius credere vela mari.

Negligenter omnino Wernsdorfius de hac Gothorum depopulatione conferri jubet Jornandem de reb. Get. 30, ubi haec tantum verba, quae ille dicere potuerit, invenio: *Gothi furibundo animo in Liguriam revertuntur, ejusque praedis spoliisque potiti Aemiliam pari tenore devastant, Flaminiaeque aggerem inter Picenum et Tusciam usque ad urbem Romam discurrentes, quidquid inter utrumque latus fuit, in praedam diripiunt.* Sed quid viae Flaminiae cum Aurelia? De Tuscia autem vastata nihil in istis quidem. At enim spreto Jornande audiendus est potius Zosimus lib. 5, 37 seqq., qui accuratissime, quas Italiae partes Gothi peragraverint, narrat. Alaricus enim, cum aperte violatus ab Honorio imperatore Italiam atque Romam petere constituisset, e Norico, ubi versabatur, Aquilejam profectus juxta mare Hadriaticum (Concordiam enim et Atinam tetigit) Cremonam iter facit. Ibi Pado tra-

jecto Aemiliam provinciam peragrat, Bononiam praeterit, Ariminum advenit, sed non oppugnat, unde via Flaminia, omissis et Tuscia et via Aurelia, Romam se confert. Quam cum aliquamdiu obsedisset, recessit et in quibusdam circa Tusciam locis *) castra metatus est; mox via Flaminia Ariminum redit, eademque via, postquam imperatoris fraudem detexit, iterum ad urbem pergit eamque Ostia capta annonae penuria premit. Recessit tamen iterum Ravennam, eaque oppugnata Aemiliam vastat, deinde Bononia frustra tentata Liguriam populatur. Inde Ariminum reversus iterum Ravennam profectus est. Haec Zosimus narrat; quae porro ex aliis scriptoribus minus accuratis colligi possunt, haec sunt, Alaricum (via Flaminia opinor) tertium Romam petisse eaque capta et direpta in Campaniam atque Italiam inferiorem processisse ibique esse mortuum. Post Athaulfum Romam quam proxime praetereuntem (Jornand. de reb. Get. 31) abisse in Gallias. Apparet ex his, quando Gothi et Tusciam et viam Aureliam, quae per Forum Aurelii, Pisas, Lunam, Derthonamque Arelaten ducit, tetigerint; sed maxime videntur vastasse, cum in Gallias iter facerent, quod sine dubio ad mare inferum instituerunt.

XXVII.

Alter locus est lib. 1, 295. Namatianus, cum ad portum Herculis (hodie porto di Ercole), qui prope Cosam est, appulisset, ibi invenit vestigia castrorum, quae olim M. Aemilius Lepidus, partium Marianarum studiosus, antequam a Q. Lutatio Catulo victus in Sardiniam fugit, habuerat. Hinc ei occasio in Lepidorum genus invehendi, a quo nisi mali nihil res publica passa sit **). Unde autem tanta sibi ira sit, ipse poëta indicat:

Nunc

---

*) Accuratiora non narrantur; sed opinor Narniae aut Ocriculi consedisse, quae et circa Tusciam sunt et ad viam Flaminiam, qua deinde se recepit.

**) Dissentit ab Namatiano Tacitus Annal. 6, 27 *Aemilium genus foecundum bonorum civium et qui eadem familia corruptis mori-*

Nunc quoque — Sed melius de nostris fama queretur,
Judex posteritas semina dira notet.

Obscura sunt verba et difficile dictu est, qui Lepidus etiam illa aetate tam acri vituperatione dignus fuerit. Wernsdorfius credibile esse putat eum potius significari, qui moribus, quam qui nomine fuerit Lepidus. Sed haec insequuntur:

Nominibus certos credam decurrere mores,
Moribus an potius nomina certa dari.
Quidquid id est, mirus Latiis annalibus ordo,
Quod Lepidum toties recidit ense malum*).

Itaque sine dubio Lepidus aliquis notatur, isque maxime, qui bellum contra urbem Romam moverit. Posset igitur aliquis de Heracliano, comite Africae**), suspicari, qui anno 413 cum ingenti classe (Oros. 7, 42 3700 naves, alii alium numerum tradunt), cum jam antea urbi detenta classe annonaria summas angustias parasset, contra Romam profectus est et egressus in Etrusci litoris iisdem fere regionibus, quibus primus ille Lepidus, de quo Namatianus narrat, prope Ocriculum a Marino duce superatus vix una navi in Africam evasit, ibique non multo post in veteri aede Memoriae occisus est. At Heraclianus tempore, quo poëta scripsit, jam perierat, quare hic de eo tamquam vivente non poterat loqui, nec demonstrari potest, ei vel nomen vel genus fuisse a Lepidis. Itaque alius huic loco quaerendus. Sed Lepidi nomen rarissimum est illa aetate et unum tantum, qui haberet, inveni. Etenim apud Grut. p. 111, 6 commemoratur Claudius Lepidus, vir clarissimus et illustris, exconsularis Germaniae primae et comes rerum privatarum. Sed de eo praeter nomen et

---

bus, illustri tamen fortuna egere. Caeterum totum hunc de quattuor Lepidis locum exposuit Lipsius ad Tac. Annal. 14, 2. In quarto Lepido dissentit ab eo Ryckius ad eundem locum. Sed illa dissensio huc parum pertinet.

*) De grammatica horum versuum ratione infra dicemus §. XXXIII.

**) Factus autem est comes Africae, quod Stilichonem sua manu occiderat. Cf. Zos. 5, 37, 9.

[6]

honores nihil notum est. In eadem tamen inscriptione legitur ejus frater Claudius Posthumus Dardanus *), eumque, quoniam et potentior et ob ea, quae gessit, notior erat, hoc loco a Namatiano peti opinor. Audi dignitates ejus, quas enumerat titulus ille. Vocatur enim vir illustris et patriciae dignitatis, ex consulari provinciae Viennensis, ex magistro scrinii libellorum, ex quaestore, ex praefecto praetorio, ejusque uxor appellatur Nevia Galla, clarissima et illustrissima femina. Et praefecturae quidem ejus accuratior memoria extat in Cod. Theod. 12, 1, 171, quae lex anno 409 data est, iterumque eum anno 413 Galliis praefuisse docet Olympiodorus apud Photium (in script. hist. Byz. ed. Bonnens. Vol. I p. 426) et Prosper Aquitanus in chron.; etiam Hieronymus ep. 129 geminae hujus praefecturae mentionem facit. Sed jam quae tam mala ejus facinora fuerint, ut tanta in eum ira Namatianus concitaretur, accurate indicari nequit. Etenim hoc fere solum de eo notum est, eum, cum Jovinus a Burgundionibus et Alanis adjutus Moguntiaci purpuram sumpsisset, solum, cum esset praefectus praetorio Galliarum, tyranno non cessisse, sed variis machinationibus effecisse, ut Athaulfus, Gothorum rex, illi, qui maximam in hoc spem haberet, inimicus redderetur. Itaque postea Jovinum, victum et captum ab Athaulfo, Dardano traditum ab eoque interfectum (vide Olympiodorum l. l.) esse. Et haec quidem, quamvis non probi, strenui tamen sunt hominis, ut vocat Prosper Aquitanus l. l., et qui saluti rei publicae prospiceret, quare magnopere eum praedicant Hieronymus l. l. et Augustinus ep. 9. Verumtamen ut eum non tantam laudem meruisse suspicer, movet me maxime Sidonii Apollinaris testimonium, qui (Epp. 5, 9)

*) Quaeris, ubi Lepidi nomen sit. At hoc a fratre sumendum esse puto, cui sine dubio et ipsi plura nomina, quam Claudii et Lepidi, fuerunt. In uno autem fratre hoc, in altero illud nomen usitatius erat. Quamquam vel sic hoc obstat, quod non omnes, quibus nomen Lepidorum esset, etiam genus a Lepidis ducebant. Sed poterant tamen.

omnia simul crimina ei exprobrat. Is enim de avo suo Apollinari, qui Constantis Caesaris, filii Constantini tyranni, inde ab anno 408 per triennium praefectus praetorio fuerat (vide Zos. 6, 4 et 13), narrat, eum in Constantino inconstantiam, in Jovino facilitatem, in Gerontio perfidiam, singula in singulis, omnia in Dardano crimina simul esse execratum. Accedit, quod, cum ibi iis, qui bella civilia moverunt, conjungatur, et ipse eodem fortasse tempore, quo Namatianus scripsit, simile quid videtur esse molitus; aperta tamen ejus rei mentio non invenitur. Itaque ipse fateor, haec, quae dixi, conjectura fere niti; quod certum sit, nihil videri posse proferri.

XXVIII.

Graviora sunt, quae Namatianus de Igilio insula *) narrat lib. 1, 327, quae e contrario fere sita monti Argentario nec multum distans a litore, cum Roma ab Alarico oppugnaretur et caperetur, asylum et perfugium Romanis fuerat, eosque a barbarorum saevitia defenderat.

Haec proprios nuper tutata est insula saltus
  Sive loci ingenio seu domini genio,
Gurgite cum modico victricibus obstitit armis,
  Tamquam longinquo dissociata mari.
Haec multos lacera suscepit ab urbe fugatos;
  Hic fessis posito certa timore salus.
Plurima terreno populaverat aequora bello
  Contra naturam classe timendus eques;
Unum mira fides vario discrimine portum
  Tam prope Romanis, tam procul esse Getis.

Habes totum locum, in quo haec duo narrantur, Igilium insulam recepisse Romanos profugos ab urbe et Gothos terreno bello plurima aequora, ut ait poëta, vastasse. Quorum cum neutrum aliunde notum sit, hoc prius consideremus. Videamus ipsa verba. Wernsdorfius *aequora* explicat de insulis in mari sitis, *bello terreno*, de equiti-

*) Hodie insula vocatur Giglio. Nonnulli confuderunt cum Dianio sive Artemisia, quae hodie nominatur Gianuti. Vide Cluver. Ital. antiq. 2 p. 502.

bus, quorum bello terreno tantum usus est, in insulam trajectis. Sed sic sibi ipse obloqueretur poëta, si eosdem et classe et bello terreno aequora vastasse narraret. Hoc potius vult, Gothos, quamvis terrenum proprie bellum gererent et equitatù maxime constarent, tamen sibi classem comparasse eaque insulas in mari infero (hoc enim potissimum significatur) jacentes vastasse. Locutio populandi aequora aliquanto est inusitatior, sed quae tamen et explicari et excusari possit; usus enim verbi populandi satis late patet. Equitem autem hostem vocat Namatianus non modo, quod Gothi ipsi plurimum equitatu valebant, sed etiam quod Hunni, quos Athaulfus ex Pannonia adduxerat, aliaeque gentes, quae fere totae ex equitibus constarent, his aderant. Quodsi ipsa illa, quae narrantur, consideras, poëtam habes, qui augeat res. Omnia enim, quae de Visigothis scimus, eos nunquam mari potentes fuisse ostendunt, nec, si fuissent, nulla praeterea ejus rei memoria ad nos pervenisset. Alaricus cum post Romam captam ex Italia inferiore, quo abierat, in Siciliam trajicere vellet, pars ejus navium in freto Siculo submersae, pleraeque conturbatae sunt (Oros. 7, 43; Jornand. de reb. Get. 30). Nec postea reparato hoc damno iterum Siciliam tentavit. Simili modo Wallia, cum anno 418 ex Hispania ad delendas Vandalorum et Alanorum copias in Africam transiturus esset, in freto Gaditano vel armis vel naufragio ingenti damno affectus a conatu abstitit (Oros. 7, 43; Jornand. de reb. Get. 33). Itaque Visigothi, quamvis haberent classem, nunquam potentes tamen mari fuerunt, *contra naturam classe metuendi.* Item, quod de plurimis aequoribus vastatis poëta tradit, fortasse ad unam Siciliam frustra tentatam pertinet; certe, si quam praeterea insulam parvam Gothi ceperunt, id et nullius erat momenti nec nobis notum est. Quae de Igilio ab eo narrantur, ambigua sunt; non enim apparet, num Gothi insulam non invaserint an capere nequiverint; in illud tamen, ut non invaserint, tamquam veri similius inclino. Quodsi Romani eo fugisse dicuntur, hoc eo perti-

net, quod, cum Roma (hanc enim *laceram urbem*, de qua poëta narrat, esse nemo non videt) ab Alarico oppugnaretur, longe maxima et ditissima civium pars aufugit. Et Igilium quidem proximus iis portus erat; plerique in longinquiores terras, in Aegyptum, Syriam, Africam migrarunt, adeoque vel ventis vel sponte sua circumacti vagabantur, ut etiam annis sequentibus multi Syriae et Africae oras appellerent. Lege Hieronym. ep. 12 et Augustin. de civit. dei 1, 32.

XXIX.

Reliquum est, ut ea, quae Namatianus de Stilichone narrat, consideremus. Quorum summa haec est, ut eum accuset, quod et Italiam hostibus prodiderit et libros Sibyllinos cremari jusserit. De utroque seorsum agendum est. Et illud quidem Namatianus narrat lib. 2, 41. Locutus antea erat de forma Italiae sapientiamque deorum praedicaverat, qui eam undique firmis quibusdam quasi muris ita cinxissent, ut superiori ejus parti obstruerent Apenninos montes, qui si diligenter custodiantur, nullum hostem intrare posse. Insequuntur haec:

Quo magis est facinus diri Stilichonis acerbum,
  Proditor arcani quod *) fuit imperii.
Romano generi dum nititur esse superstes,
  Crudelis summis miscuit ima furor.
Dumque timet, quidquid se fecerat ipse timeri,
  Immisit Latiae barbara tela neci.
Visceribus nudis armatum condidit hostem
  Illatae cladis liberiore dolo.
Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat,
  Et captiva prius, quam caperetur, erat.

Itaque hoc maxime ei exprobrat, quod Alpes illas, quae Italiam tegunt, Alaricum transire passus sit, eique ipse,

---

*) Sic habet editio antiquissima; vulgo legitur *qui*, quod quoniam facilius est ad explicandum, ex emendatione manasse puto. Explica autem *quod* per *hoc facinus quod*. Erant enim etiam alia Stilichonis facinora, quae Namatianus vituperaret.

cum claudere deberet, viam ad caput orbis Romam aperuerit. Haec sunt *viscera nuda* *) i. e. tegumento spoliata et barbaris exposita **). Alaricus enim, cum antea in Epiro constitisset, anno 408 repente superatis angustiis, quae ex Pannonia transitum ad Venetos impediunt, Emonem accessit, inde Noricum, post Italiam petiit. Idem vero hoc quod Namatianus, etiam caeteri scriptores Stilichoni objiciunt (Oros. 7, 38; Philostorgius 12, 2; Sozom. 9, 4); Zosimus ***), quamvis non aperte vituperet, tacite tamen ejus negligentiam incusare videtur. Vehementissime autem omnium Honorius imperator in eum invehitur, qui in legibus post ejus necem ad bona ejus diripienda amicosque persequendos datis hostem publicum eum vocat et praedonem, qui ad ditandam inquietandamque barbariem sacris

---

*) Wernsdorfius hoc eo refert, quod Stilicho Gothorum et Alanorum copias in exercitum Romanum receperit et in comitatu suo habuerit. Sed hoc quidem, quamvis odisset, Namatianus vituperare non poterat. Jam dudum enim hic mos invaluerat, nec Stilicho auctor fuit.

**) Interpretes huc referunt etiam *arcanum imperium*, quod a Stilichone proditum esse poëta ait. Arcanum enim esse dicunt, quod tectum sit et custoditum. Sed, si Claudianus de bell. Get. 100 *procul arceat altus Juppiter, ut delubra Numae, sedemque Quirini barbaries oculis saltem temerare profanis possit et arcanum tanti deprendere regni*, qui locus prae caeteris ad hunc explicandum adhibendus est, confertur, ipsa Roma arcanum imperii vel arcanum imperium (cum enim utrumque dici liceat, quid dixerit Namatianus, non liquet) vocari videtur. Gesnerus certe, cum Claudiani verba de pignoribus, quae nominantur, imperii explicat, sine dubio verum non vidit. Quid Tacito arcanum vel arcana imperii sint, vide apud Ernest. ad Tacit. Annal. 2, 36.

***) En ejus verba (lib. 5, 29, 5): ὁρίζει δὲ ταῦτα (sc. Apennini montes, quos Gothi transierant) τὰς Παιονίας ἐσχατιὰς, στενοτάτην ὁδὸν διδόντα τοῖς ἐπὶ τὸ Νορικὸν ἔθνος διαβαίνειν ἐθέλουσι, καὶ πρὸς ἣν ὀλίγοι φύλακες ἤρκουν, εἰ καὶ πλῆθος τὴν πάροδον ἐβιάζετο. Accusatio illa, quam dixi, latet in imperfecto ἤρκουν, nec recte hic locus ab interpretibus in latinum vertitur. Mire autem errat Wernsdorfius, qui in notis ad Rutilii locum conferri jubet Claud. de bell. Get. 278 seqq., ubi de expeditione, quam Alaricus anno 402 susceperat, sermo est, a qua longe diversa est ea, de qua hic poëta dicit.

thesauris abusus sit (Cod. Theod. 7, 16; 9, 13, 22). In causa, cur Stilicho talia machinatus sit, Namatianus dissentit fere a caeteris. Qui cum narrent eum voluisse imperium Honorio vel Arcadio (ambigitur enim) ereptum Eucherio filio tradere, ipse eum sibi regnum affectasse ait, quod ut efficeret, eum cum Gothis conjurasse eosque intra Italiam admisisse. Itaque Gothos vocat ejus *satellites pellitos. Satellites* enim sunt amici et socii, non quos in exercitu Romano et in comitatu habebat, sed quibuscum, quoniam occulto foedere eos videbatur fovere, ad delendum imperium Romanum conspiravisse putabatur. Sic saepius in legibus, quae hoc tempore datae sunt, commemorantur hostes publici satellitesque eorum (Cod. Theod. 7, 8, 7; 9, 40, 19), et de ipso Stilichone Cod. Theod. 9, 42. *Pelliti* autem dicuntur Gothi, quod pellibus indui solebant; Claud. bell. Get. 481 *crinigeri sedere patres, pellita Getarum curia;* id. in IV. cons. Hon. 466 *moritur pellita juventus;* Sid. Apoll. Epp. 1, 2 *pellitorum turba satellitum,* ad quem locum Savaro plura exempla attulit. De Stilichone autem porro haec habet poëta: *dumque timet, quidquid se fecerat ipse timeri* etc. *). Quae sic explica: dum timet ea, quae ipse fecerat, ut timeretur i. e. dum timet, ne jam detegatur dolus et fraus, qua sibi regnum parare voluerat. Vides in his et graecismum latinis admodum inusitatum et in tota orationis conformatione aliquid, quod aetatem Namatiani sapiat, cui est tamen aliquid concedendum. Quid vero ex omnibus his criminibus, quae Stilichoni objici solent, verum sit, difficillimum est ad dijudicandum. Hoc tamen constare poterit multa per invidiam ab inimicis ei

---

*) Fortasse ad idem hoc crimen pertinebit etiam, quod eum dicit voluisse *Romano generi esse superstitem.* Quod si de Romanis ita delendis, ut ipse solus supersit, intelligis, nescio qui non est aptum. Puto potius *superstitem esse* Namatiano idem fere valere ac superare, imperare. Superstandi certe verbum simili modo posuit Sid. Apoll. Carm. 2, 27 *nam regna superstat, qui regnare jubet;* id. 2, 154 *non principe nostro spicula direxit melius Pythona superstans Paean* etc.

exprobrari, veriusque videri tradidisse Olympiodorum (Script. hist. Byz. ed. Bonn. Vol. I p. 448), qui eum Olympii potissimum insidiis occidisse narrat. Nec Namatianus, qui omnes christianos carpit, testis locupletior est. Quod quidem vel maxime ex altero crimine, quod Stilichoni objicit, apparet. Ait enim eum libros Sibyllinos cremasse, eoque omnem opem, quam Roma a diis sperare posset, evertisse:

Nec tantum Geticis grassatus proditor armis
Ante Sibyllinae fata cremavit opis.
Odimus Althaeam consumpti funere torris,
Nisaeum crinem flere putantur aves.
At Stilicho aeterni fatalia pignora regni
Et plenas voluit praecipitare colos *).

Wernsdorfius singulari excursu de his versibus plurima dixit, quorum haec summa, ut inique et invidiose locutum esse poëtam putet, eumque, quae Honorii auctoritate facta essent, quod imperatorem accusare non auderet, Stilichoni exprobrasse. Nullus enim alius scriptor illius rei mentionem facit, ne ibi quidem, ubi opportunam tamen habeat occasionem. Zosimus, qui alias (vide eum lib. 2, 7) magno in honore habet libros Sibyllinos, lib. 5, 38, ubi de impietate, qua Serena, Stilichonis uxor, vetera sacra Romae turparit, loquitur, et de ipso Stilichone addit, eum imperasse, ut fores capitolii Romani, quae auro magni ponderis obductae erant, his laminis aureis spoliarentur, eaque in re infelix ei omen narrat, tacet tamen de libris Sibyllinis. Neque Symmachus in celebri illa epistola, qua de multis rebus, quae contra paganorum sacra factae erant, loquitur, quidquam habet de iis. Ne leges quidem imperatorum (vide Cod. Theod. 16, 10), quibus templa et sacrificia veterum deorum deleri jubent, eorum mentionem faciunt. Neque vero hoc ita mirum. Cum enim jam dudum

*) Hanc formam exhibent editiones vetustae; recentiores scribunt *colus*, nescio quo jure. Illud enim aeque bonum et quamvis plerumque ambigatur, aliquoties tamen ètiam ita inveniri videtur, ut lectio non variet. Vide Claud. in Apon. 87; Stat. Silv. 1, 4, 64; Ovid. Fast. 3, 818. Mitto, quod saepius etiam *colo* legitur.

eorum auctoritas eversa esset, interisse eos non narravit nisi is, qui antiquitatis admodum studiosus esset. Quodsi quaeris, quando interierint, Symmachus Epp. 4, 34 eos esse adhuc significat his verbis: *monitus Cumanos lintea texta sumpserunt.* Etiam Claud. de bell. Get. 231, ubi pavorem, qui anno 402 Alarico in Italiam progresso Romae ortus est, describit, eosdem videtur commemorare. Sic enim canit: *quid meditentur aves, quid cum mortalibus aether fulmineo velit igne loqui, quid carmine poscat fatidico custos Romani carbasus aevi.* At Augustinus de civit. dei 18, 53 narrat paganos, cum cultum christianorum tot tantisque persecutionibus non modo non potuisse deleri, sed mira potius incrementa cepisse viderent, versus quosdam graecos tamquam consulenti cuidam divino oraculo effusos excogitasse, in quibus traderetur, christi nomen per annos 365 cultum, deinde vero eversum iri. Id vero spatium cum consulatu Honorii et Eutychiani (i. e. anno 399) completum esset, contra accidisse, ut veterum deorum sacra et templa abolerentur. Hinc, quoniam oraculum illud de libris Sibyllinis accipit, Servatius Gallaeus (de Sibyllis diss. XIV p. 278) eo ipso tempore eos combustos esse colligit. Wernsdorfius temeritatem ei objicit, quod nec constet oraculum illud fuisse ex libris Sibyllinis, nec eos ab Honorio crematos esse Augustinus tradat; sed probat tamen fere ejus sententiam, ipsoque initio quinti saeculi abolitos esse statuit. Jam vero Claudianus, qui anno 403 commemorare videretur, obloquebatur. Itaque eos non crematos, sed conditos tantum publicoque usui ereptos esse opinatur. Quae enim de crematis Namatianus narret, omnino ficta esse et excogitata, ut pulchra cum Althaeae torre fatali et Nisi crine ablato comparatio institui posset. Si lenissime quis judicare vellet, dicturum, mera suspicione poëtam, qui eos a Stilichone iis, qui consulere vellent, negatos audisset, ideoque deletos omnino esse conjiceret, ad criminationem illam motum esse. At qualia, quaeso, ista argumenta? Tali quidem ratione omnia negari poterunt. Neque video, cur hac in re Nama-

tiano fidem denegare possimus; postea enim non commemorantur libri Sibyllini *). Itaque cremati sunt intra annum 403, quo ultima eorum mentio fit, et annum 408, quo Stilicho necatus est. Wernsdorfius autem eo maxime decipitur, quod, ubi poëta, antequam Geticis armis grassaretur, Stilichonem libros cremasse narrat, primam expeditionem Alarici anno 402 susceptam dici putat. Quae quidem de altera, quae anno 408 erat, rectius supra explicuisse videmur. Cur autem a Stilichone potissimum libros Sibyllinos crematos esse dixerit Namatianus, vel inde explicari potest, quod pleraque hoc tempore illius auctoritate facta esse norat. Sed latet etiam alia res. Augustinus enim epist. 129, quae est ad Olympium comitem magistrum officiorum, scribit Stilichone mortuo paganos sperasse omnes leges, quae vivo eo contra se datae essent, jam irritas fore, quippe quas imperator vel nescivisset vel noluisset. Eaque occasione eos ita usos esse, ut vim inferrent christianis, et ea mala, quae ipsi quondam perpessi fuerant, ulcisci conarentur. Neque vero christiani otiabantur, sed crebras legationes ad Honorium mittebant, et Augustinus ipsam illam epistolam ad Olympium, qui tum plurimum valebat, exagitandum scripsit. Itaque non multo post lex data est (Cod. Theod. 16, 5, 43), qua imperator non modo omnia, quae antea edicta essent, manere jussit, verum exequenda etiam maxima severitate addidit **). Quamquam igitur Honorius profitebatur, volente se ac jubente omnes leges vivo Stilichone datas esse, apparet tamen, quae fuerit hominum opinio, nec eam vanam fuisse puto. Nam ne Honorius postea sententiam mutaret, effectum est maxime Olympii opera, qui, cum in caeteris dissentiret, in hoc consentiebat cum

*) Neque enim huc pertinet Sid. Apoll. Carm. 2, 352, quem locum interpretes rectissime alio modo explicuerunt.

**) Itaque Augustin. ep. 120 recte dicere potest, leges, quae de idolis confringendis vivo Stilichone in Africam missae essent, ex voluntate imperatoris constitutas esse. Wernsdorfius, qui hunc solum locum, non item caetera adhibuit, etiam hoc, quod Stilicho potissimum libros Sibyllinos aboleri jusserit, stare non posse arbitratur.

Stilichone, quod magnam pietatis christianae speciem prae se ferebat (Zos. 5, 32). Caeterum recte Wernsdorfius Namatianum vituperat, quod libros Sibyllinos vocet *fatalia pignora regni*. Fatales erant illi quidem (vide Liv. 22, 9), sed ad pignora imperii, quae Servius ad Virg. Aen. 7, 188 enumerat, non pertinent.

XXX.

Jam vero, postquam de ipso poëta, ejus genere, viris et rebus, quos commemorat, diximus, restat, ut *de carmine* ejus nonnulla addamus. Et primum quidem de ejus inscriptione agendum est. Antiquissima editio Bononiensis hanc habet: *Ad Venerium Rufium Claudii Rutilii Numatiani Galli, viri consularis, praefectorii urbis, tribuni militum, praefecti praetorio liber primus, cui titulus Itinerarium.* Hanc reliqui editores, quamquam in caeteris mutant nonnulla, ita sequuntur, ut itinerarii nomen plerique retinuerint. Sitzmannus tamen abjicit verba illa *cui titulus Itinerarium*, Reusnero placuit *Rutilii Claudii Numatiani Iter Pisanum ad Venerium Rufium*, Burmannus, quod Rutilium Caesaris exemplo, qui teste Suet. Jul. 64 carmen, cui Iter inscriptum erat, reliquit, obsecutum esse putabat, maluit nominare *Iter ad Venerium Rufium.* Initio libri secundi antiquissima editio habet: *Rutilii Claudii Numatiani de reditu suo Itinerarii liber secundus.* Brevius hoc expressit Castalio: *Rutilii Claudii Numatiani Itinerarii liber secundus*, Reusnerus posuit *Rut. Claud. Numat. Iter Romanum* *) *fragmentum.* Caeteri *librum secundum* nominasse satis habuerunt. Apparet hinc, constantem fere titulum esse itinerarii, paucos discessisse, ut simili modo inscriberent. Sed jam dudum dubitatum est, num recta esset haec ratio. Barthius enim Advers. 16, 6 et Vossius de hist. lat. 3, 4, 2 auctorem

*) Videtur hic idem sentire, quod Onuphrius Panvinius, qui in praefatione ad Rutilii carmen haec dicit: „Itineraria et ipse duo composuit, alterum de itu ex urbe in Galliam, alterum vero de reditu ex Gallia Romam". Quae falsa esse ipsum carmen docet.

carmini inscripsisse putant *de reditu suo.* Wernsdorfius, quamquam ambigit et in quibusdam secum ipse pugnat, optimum judicavit jungere utrumque et inscribere *de reditu suo Itinerarium.* Itinerarium enim vocatum esse ab auctore, ut carminis materies indicaretur, additum esse *de reditu suo*, quia differebat hoc itinerarium ab aliis, quod non auctoris profectionem ex solo patriae vel habitationis in terras peregrinas describebat, sed reversionem ejus e Roma, ubi peregre abfuerat, in patriam. At, quidquid iste dicit, non moveor his argumentis. Vellem enim monstrasset, quomodo ipsum itinerarii nomen Namatiani carmini conveniat. Itineraria sunt tabulae, in quibus nomina urbium et locorum, eorumque intervalla in usum maxime militarem notata sunt, quas Romanis ducibus non modo adnotatas, sed etiam pictas fuisse testatur Veget. de re milit. 3, 6. Quae qualia fuerint, cognosci licet ex iis, quae nobis servata sunt, ex Antoniniano potissimum et Peutingeriano. In his mera et jejuna locorum notitia, nulla vel descriptio vel expositio; Namatianus loca commemorat ille quidem, addit idem nonnunquam, quantum inter se distent, sed id agit obiter. Potior ei cura est, ut describat loca, fabulasque, quae de iis narrentur, exponat, quae sibi in itinere acciderint, explicet, viros, quos vel inveniat vel quorum memoria moveatur, praedicet aut vituperet, omnia denique alia tractet, quam hoc, quod itinerarii proprium est. Quodsi Wernsdorfius Namatianum putat locutum esse ex more et usu saeculi sui, quod itinerarii magis quam itineris nomen de talibus libris usurpasse videatur, nec probavit, quod dixit, et vix poterit probare. Omnia enim itineraria, quae ad nostram aetatem pervenerunt, ipso illo tempore vel paulo antea videntur esse confecta. Poterit quidem afferri, carmen itinerarium posse dici aeque bene ac *sumptum itinerarium* (Ael. Lamprid. in vita Commod. 9 et Alex. Sev. 27) et *aggerem itinerarium* (vide Vales. ad Amm. Marcell. 19, 8, 2) et similia. Neque id nego equidem; sed usus tamen invaluit, ut, si itinerarium dicas, nequeas co-

gitare, nisi de libro, in quo urbes et loca mere perscripta, non descripta sint. Idque etiam aliis rebus firmatur. In carminibus Venantii Fortunati duodecimum libri secundi et secundum libri octavi sunt *de itinere suo*, porro duodecimum libri decimi *de navigio suo*, vigesimum denique quartum libri undecimi *de navigatione Illacensi*, nullum, quod vocetur itinerarium. Considera etiam, quanta auctoritate tota illa inscriptio, cujus pleraque verba falsa esse jam supra vidimus, nitatur, nec dubitabis etiam itinerarii nomen vel ab eo, qui descripsit codicem, vel ab eo, qui imprimendum curavit, excogitatum esse. Cur enim in antiquissima editione verba *cui titulus Itinerarium*, quae libri secundi demum initio ipsi inscriptioni intexta sunt? Nescio hercle, nisi statueris ea non esse inventa in codice, sed addita ab alio. Neque, qui primi inventi carminis mentionem faciunt, sic nominant. Volaterranus haec habet: „*Rutilius, Gallus poëta, cujus elegia quaedam, iter suum continens, haud ignobilis nuper inventa est.*" Simili modo Petrus Summontius dicit *Rutilii Namatiani elegos* a genere versuum, quibus carmen constat. Quae cum ita sint, itinerarii nomen, quippe quod nec aptum sit carmini, nec profectum ab ejus auctore, abjiciendum est et, si quid ex ratione honorum Namatiani, qui in veteribus inscriptionibus enumerantur, colligi licet, videtur ortum esse ex lib. 2, 62, ubi haec sunt:

Carmine proposito *) jam repetamus iter.

Neque substituendum est cum Burmanno *iter*, quod etsi usurpavit Caesar, in Namatiano nulla re firmatur. Assentior enim Barthio et Vossio, qui, quod verius sit, latere existimant in secundi libri inscriptione, quae est *de re-*

*) i. e. carmine, quod non amplius ad alias res vagetur, sed quod sequatur id, quod est propositum. Heinsius conjecit *proposi-tum*, idque bonum sane, et movebat eum, quod Propert. 2, 23, 82 (3, 26, 14) et Ovid. Her. 16, 118 similia habent. Sed si *iter* hic intelligas de ipsa profectione poëtae, non de decursu carminis, nescio, qua re offendi possis.

ditu suo. Sic auctor et indicat, quid canturus sit, et justo ac bono nomine utitur. — Jam ex veteribus hujus carminis inscriptionibus haec sola verba supersunt *ad Venerium Rufium*, quae Rufio dedicatum fuisse hunc libellum indicant. Qua de re quid judicandum sit, cum jam Castalio et Wernsdorfius explicuerint, brevissimi erimus. Et de Venerii quidem nomine jam §. XXI diximus; sed omnis illa dedicatio nulla est. Quod quidem vel ipsum carminis initium indicat, ubi poëta quemlibet, qui legat, non Rufium alloquitur. Manavit autem error ex lib. 1 v. 422, ubi, cum de Rufio illo agitur, haec verba sunt:

te dudum pagina nostra canit.

Quae quoniam ad lib. 1, 167, ubi idem Rufius commemoratus erat, referri non intelligebant, interpretes non aliter sibi videbantur posse explicare, quam ut ei totum carmen dedicatum fuisse opinarentur. Jam vero si desideras inscriptionem carminis, quae simul poëtae honores prae se ferat, sic appella: *Rutilii Claudii Namatiani V. C.* (addi poterit *et illustris*), *ex magistro officiorum, ex praefecto urbis de reditu suo lib. II.*

XXXI.

Notum enim est hoc carmen ex duobus libris constare, quorum prior integer est, alter duodeseptuaginta versus continet, ita ut longe maxima ejus pars desit. Quod culpa poëtae an temporis injuria factum sit, non liquet. Etenim ne hoc quidem caret similitudine quadam veri, Namatianum, cum usque ad urbem Lunam mari usus esset et, quod satis otii parabant venti autumno saepe contrarii, in ipso proficiscendo carmen composuisset, deinde terrestri itinere in via Aurelia, quae Lunam tangit, celerius proficiscentem ob temporis angustias non amplius potuisse scribere, post autem imperfectum reliquisse carmen. Nam imperfectum esse quivis, qui extremam ejus partem legerit, intelliget. Ut autem in ipso itinere scriptum esse arbitrer, movet maxime me, quod, si id continua lectione examinas, singula ita videntur esse abrupta, ut sejunctim

potius composita quam ex una scriptione manasse malis credere. Cum enim poëta perlustravit locum et, quid ibi fecisset, exposuit, transilit, non transit ad eum, qui insequitur, et si quid forte ei evenit, hoc inserit potius quam intexit caeteris (vid. 1, 415; 1, 466; 1, 491). Quare fit, ut carmen in multa minora capita dividatur, quae ita tantum cohaereant, ut res, quae narrantur, se excipiant, interior quidam nexus desideretur. Concinnior est ab initiis utriusque libri, ubi, quoniam una res tractatur, habes continuam et uno quasi flumine manantem orationem. Quamquam haec non ita dico, ut assentiar Petro Pithoeo in Emendatt. in poëm. vett. p. 599 et ad Rutil. 2, 9 ac Gerh. Jo. Vossio de hist. lat. 2, 15, qui ex ordine navigationis et itineris, quod carmine describatur, quaedam confusa et versus nonnullos loco suo trajectos esse putabant. Neque enim illi exempla attulerunt nec equidem inveni. Unum tantum locum scio, in quo erraverit poëta. Qui cum lib. 1, 232 inter Pyrgos et Centumcellas in Etrusco litore ponit castrum Inui, quod in Latio inter Lavinium et Antium, Volscorum oppidum, fuisse constat, fallitur, eumque errorem detexit Cluver. Ital. antiq. 2, 2 p. 448. Sed addit idem causam, cur ille erraverit, Silvani scilicet cultum frequentem fuisse in regione illa (vide maxime Virg. Aen. 8, 597 sqq.) lucis et nemoribus obsita, ideoque facile Inuum cum Silvano, quos pro iisdem haberi esse solitos etiam aliunde constat, potuisse misceri et sic urbi falsum nomen dari. Itaque hic error et facilis erat, nec talis, unde confusa quaedam esse colligi posset. Etiam alio loco (1, 181), ubi Aeneam solum sinistro Tiberis ostio usum esse narret, poëtam errasse adnotat Cluv. Ital. antiq. 3, 3 p. 874. Etenim et matrem Idaeam eo flumine Romam advectam esse (Ovid. Fast. 4, 291 sqq.) et hoc omnino antiquioribus temporibus frequentius fuisse (Ovid. Fast. 4, 329), id quod vel ex nomine Ostiae coloniae appareat. Sed de matre Idaea *), cum et

---

*) Quae etiamsi sinistro ostio advecta est, hoc ipsum tamen, quod

Livius 29, 14 non accurate rem narret, et Ovidii locus in utramque partem explicari possit, res dubia est, et sinistrum ostium antiquitus usitatius fuisse etiam Namatianus, qui Aeneam eo subvectum esse dicit, indicat. Denique, ut erraverit poëta, tamen non confirmatur, quod isti de trajectis quibusdam locis et confusis suspicati sunt. Alii interpretes, Dammius maxime et Kappius, transposuerunt illi quidem aliquoties nonnullos versus (vide 1, 219 et 262 et 373; 2, 2), sed idem in quovis carmine, quod quomodo continuetur non perspexeris, fieri licet. Neque caeteri, quae illi mutarant, acceperunt.

XXXII.

Jam vero, si quaeritur, quam poëticam laudem Namatianus carmine suo meruerit, assentimur fere Burmanno (in praefat. ad Poët. lat. min.), qui mediocrem esse censet. Qui pro eleganti et ingenioso et bono denique habent, de eo potius, quod voluit, quam quod assecutus est, judicant. Elegantiam quidem concedere poteris; abest enim ab aetatis suae pravitate, quae, cum magna deessent, etiam parva ingentibus laudibus extollebat, et confugit ad veteris Romae memoriam, quae sola hominem constantem ac fortem in calamitatibus illius temporis et consolari poterat et erigere. Habet idem simplicitatem *) quandam, et recti ac pulchri sensum, sed ingenium, quod facilitatem et nativum colorem praeberet, deerat. Itaque vides hominem eruditissimum, antiquitatis studiosissimum, patriae denique amantissimum, sed eum tamen vides, in quo hoc potissimum

---

navis sedit in arena, hoc flumen non amplius usitatum fuisse probat. Caeterum, unde habeat Namatianus Aeneam eo usum esse, nescio; Virgilius non narrat.

*) Itaque Homerum, celeberrimum simplicitatis exemplum, laudat, cf. 1, 195; 1, 449; veteres fabulas de Pygmaeis et Corsa virgine, quae nomen dederit Corsicae insulae, multaque alia tangit, quae non, ut doctrinam prae se ferat, constipat, sed ad fugiendum suae aetatis tumorem immiscet.

tissimum laudandum sit, quod veteres imitando laudem mereri voluit. Claudiano, si de poëta judicas, sine dubio longe est postponendus; literarum et antiquitatis scientia haud scio an aequiparandus. A Sidonio Apollinari superatur ingenio, multo superat eundem elegantia, utroque inferior Ausonio, nisi quod hic saepe inanior. Nam in Namatiano etiam severitas quaedam ex veteris Romae admiratione orta placet, quae quoniam eorum, quae meliora sunt, te admonet, efficit, ut, quamvis videas, quid desit, lubenter tamen et cum voluptate in hoc carmine versere.

Studium hoc et veterum imitatio poëtam efficere non possunt illa quidem, sed faciunt tamen, ut is, quae senserit, accurato et recto versu pronuntiet. Itaque versus Namatiani nitidi sunt et elegantes et supra fere, quam par erat, accurati. Etenim, si poëtas antiquiores et recentiores, qui hexametro usi sunt, inter se comparas, vides apud hos multo rariorem esse usum caesurae semiquinariae, frequentiorem semiseptenariae. Ausonius, praecipue in Mosella, antiquiores sequitur, sed apud Claudianum et Sidonium Apollinarem tertius vel quartus quisque versus, spreta caesura semiquinaria, plerumque semiseptenariam, raro trochaicam habet *). Jam vero Namatianus in trecentis fere quinquaginta versibus (altera enim carminis pars pentametris constat) sedecies ita a caesura semiquinaria discessit, ut quattuor locis (1, 47; 1, 51; 1, 423; 1, 467) trochaicam, caeteris semiseptenariam adjunctis aut trochaica et tertia post primam syllabam secundi pedis aut hac sola admiserit. Sic ne accessit quidem ad

*) In plerisque versibus hexametris omnium poëtarum latinorum, cum caesura semiseptenaria admittitur, additur trochaica, saepe etiam tertia post primam syllabam secundi pedis, eaque ratio apud posteriores omnino praevalet. Ex his caesuris num trochaica an semiseptenaria potior sit (tertia enim in secundo pede utraque inferior), si ex verborum nexu dijudicas, hanc illa frequentiorem esse invenies. Rari autem versus, qui solam trochaicam habeant. Apud Namatianum nullus invenitur.

eum modum, quem vel optimorum poëtarum usus pateretur. Itaque apparet eum, cum hexametri venustatem et severitatem a poëtis suae aetatis pessumdari videret, corrigere versum et in pristinum usum restituere studuisse. Similem ob causam in versu, qui est lib. 1, 637:

Namque procelloso subjungitur Oarioni,

etiam missa auctoritate veterum editionum, quae in talibus rebus non magna est, praeferendum esse censeo *Oarionem Orioni,* quem nonnulli inducebant. Utrumque licet illud quidem per usum poëtarum, qui non raro hoc vocabulum in quinto et sexto pede hexametri collocant (Horat. Carm. 1, 28, 21; Lucan. 4, 836; Claud. VI. cons. Hon. 178), sed, quod Namatianus hexametrum spondaicum nunquam admisit, scribendum est *Oarioni,* quod et ipsum usitatum fuisse docet Catull. Carm. 64, 94. Unus tantum locus in hoc carmine est, ubi melior usus negligatur, lib. 1, 608:

Circumsistentes reppulit Harpyias.

Solent enim poëtae non Harpyiarum modo vocabulum (Ovid. Met. 3, 215), sed etiam similia, velut Ilithyiae, Orithyiae (vide Burmann. ad Propert. 1, 20, 31), in tres quattuorve syllabas contrahere; hic illo choriambus efficitur. Quare accipiendum fere, quod Forcellinus in lex. s. v. suadet, ut latina quasi forma scribatur *Harpuias.*

XXXIII.

Superest, ut *de Namatiani genere dicendi* disseramus, quod simile est ejus poëticae facultati. Cum enim antiquitatis et amantissimus et peritissimus esset, sermonem, qui tum in vulgari usu erat, quoniam probare non poterat, emendare studebat. Neque vero assecutus est, quod volebat; voluntas tamen ipsa et certamen quasi quoddam cum deteriore consuetudine apparet. Videamus exempla aliquot. Ab initio carminis haec leguntur:

Velocem potius reditum mirabere, lector,
Tam cito Romuleis posse carere bonis.

Multi interpretes deesse putant ad minimum unum distichon, quo referri possint *potius* et *tam*, quae sic merito omnes offendunt, alii emendarunt, pauci poëtam sic scripsisse censuerunt. Quos paucos sequor. Lacunae enim praeterea nullum aliud vestigium et emendationes eo ipso fere, quod emendant, pejores sunt. Quamquam nescio, qui illud explicari possit, nisi sic, ut poëtam, quod invitus Roma decedebat, graviter commotum se potius respexisse arbitremur quam caeteros, qui legerent. In quibus quoniam non est talis commotio, fit, ut, quod illi tamquam bonum initium placuerit, ab his pro media potius oratione habeatur, et in quo ille simplicitatem et elegantiam affectaverit, ab his non intelligatur. Infinitivum autem *posse carere* pro substantivo quasi habe, quod pendeat ex verbo mirandi. Insequuntur haec:

Quid longum toto Romam venerantibus aevo;
Nil unquam longum est, quod sine fine placet.

Hoc dicebat poëta, *Romam venerari nemini esse longum, neminem diu Romam posse venerari,* dixit, *si quis Romam veneretur, ei nullam rem longam esse*, quod si accurate consideras, ineptum est. Porro, cum dicere vellet, *nihil, quod sine fine placeat, posse dici diu coli*, contraxit hoc ita, ut adjectivo longi notionem molesti et injucundi tribueret, quae ignota est latinitati meliori. Paulo post v. 15 haec sunt:

Ordinis imperio collegarumque fruuntur
Et partem genii, quem venerantur, habent,
Quale per aetherios mundani verticis axes
Connubium summi credimus esse dei.

Primum adnotandum est *collegae* vocabulum, quod Namatiani aetate eum significat, qui est in senatu. Symmach. Epp. 1, 102 *nec te excusare collegis interventus Alpium potest;* ibid. 10, 28 *ne aut impares facultate collegas tenuis decoloraret editio;* ibid. 5, 62 *resiste, quaeso te, publicanorum cupiditati et damna collegarum recide.*

Quibus locis si collega eum denotaret, qui alicujus in munere aliquo est socius, pronomen possessivum adjiciendum erat. Deinde *connubii* vox hac notione inaudita. Hoc enim dicitur, *uti summus deus ex omnibus, quae ubique sint in coelo divina, conficiatur et colligatur, sic dignissimum quemque ex toto orbe terrarum in senatu Romae esse geniumque Romanum ex his undique receptis partibus concrescere quasi* *). *Connubium* igitur *summi dei* dicitur conjunctio, ex qua prodit summus deus. Similem locum nescio; etenim etiam is dissimilis, qui solus afferri et solet et potest, Lucret. 3, 857, ubi artissima corporis et animi conjunctio vocatur *coitus conjugiumque*. Porro lib. 1, 71:

Hinc tibi certandi bona parcendique voluptas;
Quos timuit, superat, quos superavit, amat.

Nullus melior vel scriptor vel poëta sic locutus esset. Quis enim umquam de bona voluptate certandi aut parcendi audivit? Expressit scilicet Namatianus, quod Virg. Aen. 6, 854 dicit: *tu regere imperio populos, Romane, memento, parcere subjectis et debellare superbos.* Cum vero voluptas illa et timere et superare et amare dicitur, agnoscere tibi videris illam aetatem, qua inanis quaedam profluentia loquendi verborumque tumor solus supererat. Simillima sunt, quae paulo post (lib. 1, 79) leguntur:

Te, dea, te celebrat Romanus ubique recessus
Pacificoque gerit libera colla jugo;

et deinde lib. 1, 89:

---

*) *Aetherios axes* et *verticem mundanum* recte explicant interpretes; in caeteris me ab iis recedere animadvertes. Qui cum *connubium* interpretantur de summi dei per omnes coeli regiones continuata et diffusa vi, Namatianum etiam insolentius loquentem faciunt; sic enim dativus, ut indicetur, cui nupserit quasi deus, deesse nequit. Barthius, qui emendabat *summis diis*, non intellexit comparationem. Neque enim connubium inter paria, quale esset summorum cum summis, sed inter summa et inferiora requiritur.

Justis bellorum causis nec pace superba
Nobilis ad summas gloria venit opes.

Deest hic et *tua*, quod addi necesse erat, et *nobilis gloria* non pervenit ad opes. — Lib. 1, 175:

Sedula promisit summos imitatio fasces,
Si fas est meritis credere, consul erit.

Quaeris, cujus rei dicatur *imitatio.* Patris putant interpretes. Sed nescio, unde hunc habeant, qui decimo versu ante obiter commemoratus est. Cogitari potest etiam de imitatione eorum, quae antea probe ac strenue Rufius gesserit, vel eorum, quae in universum bona et laudabilia sint; sed neutrum aut dictum est aut suppleri potest. Nihil reliquum, nisi ut suppleas *summorum fascium.* Quod enim imitaris, id assequi et efficere studes. Symmach. Epp. 7, 87 *mores hominis ex meo pende judicio et in omnibus, quae utilitas ejus exquirit, votum commendantis imitare* i. e. fac, ne voto meo, qui commendem, desis; fac expleas ea, quae desidero. Itaque imitatio summorum fascium est studium, ut facias, quae digna sint summis fascibus eosque tibi parare possint. Sed et haec notio est deterioris latinitatis, et unum tantum locum novi, ubi imitandi verbum simili fortasse modo non adjecto eo, quod imitandum sit, dictum est, apud Lucret. 2, 715. — Lib. 1, 229:

Praesidet exigui formatus imagine saxi,
Qui pastorali nomina fronte gerit etc.

Quid? Deus formatus imagine? Immo imago formatur. Ovid. Met. 3, 419 *formatum marmore signum.* Deus exprimitur imagine. Potest ille etiam formari, sed saxo, non imagine saxi. Sic Symmach. Epp. 10, 32 *hinc factum est, ut optimi quique manu et arte formati in longam memoriam mitterentur.* Itaque illud sibi quasi proprium Namatianus habet. Verba insequentia ab iis, qui interpretari quam emendare malunt, de nomine dei in ipsa statua inscripto intelliguntur, idque vetustate deletum non amplius legi potuisse. At qui praetervehitur litus, ut Namatianus

Castrum Inui, non solet legere, si quid statuae in litore positae inscriptum est. Praeterea, si cui statuae nomen dei inscribitur (id quod ipsum inusitatum esse arbitror), id in basi ejus, non in fronte fit. Quare *nomina gerere* idem esse puto quod nomen habere, vocari, ita ut deus a fronte pastorali nominari dicatur i. e. ab externa specie, quae pastori similis sit. Quodsi omissa praepositione *ab* vel *de* offenderis, simile est Ovidianum (Fast. 6, 95) *his nomen junctis Junius, inquit, habet.* Cf. Virg. Aen. 6, 835. Lib. 1, 261:

Qualis Agenorei rapturus gaudia furti
Per freta virgineum sollicitavit onus.

In quibus si vulgarem interpretationem accipis, perversa fit sententia. Expressit illam sic Wernsdorfius: „*rapturus* ablaturus, *gaudia* de concubitu, *virgineum onus* Europam virginem, quae insidens fuerat onus ejus, *sollicitavit*, blandiendo pellexit, ut coiret secum." — Itaque hic est sensus, Jovem, ut rapere posset Europam virginem, pellexisse eam ad concubitum. At hoc contra fabulam et contra ipsam rem. Quare hoc solum superest, ut *sollicitare virgineum onus* de pelliciendo ad insidendum intelligamus. Sed hoc, quamvis late pateat sollicitandi verbum, inusitatum tamen nec scio, quod prorsus sit simile. — Lib. 1, 267:

Haec quoque Pieriis spiracula comparat antris
Carmine Messallae nobilitatus ager,

i. e. ager efficit, ut comparari possint spiracula haec cum antris Pieriis i. e. ea similia reddit. Miror, quod nemo interpretum in comparandi verbo haesit et emendationem adhibuit. Similem enim ejus notionem non novi nisi in re gladiatoria, a qua manavit haec, qua Namatianus usus est. Cf. Suet. Caligul. 35. — Lib. 1, 312:

Quidquid id est, mirus Latiis annalibus ordo,
Quod Lepidum toties recidit ense malum.

Wernsdorfius haec sic intelligit, perniciosum illud genus Lepidorum, quamvis ense suo toties stricto et sublato in

rem publicam, toties tamen repressum et depulsum esse, ut in cassum caderet. Jungit igitur *malum ense*, ut ne Namatianum quidem dicere potuisse opinor; deinde vereor, ut *recidere* sit in cassum cadere, pessum ire; denique, ut haec concedantur, perversa esset sententia, si hic annalium Romanorum mirus ordo diceretur, quod malum a Lepidis ortum tam saepe oppressum est. In quo hoc inesset, bonum fuisse, si non oppressum fuisset, sed si vicisset. Id autem alienum a poëtae mente. Quare locum sic accipe: *mirus ordo est annalibus Romanis, quod malum a Lepidis ortum tam saepe redit. Recidere* cum morbi proprie dicantur (Plin. hist. nat. 28, 16, 66), unde *febres recidivae* vocantur, idem etiam de malis usurpatur. Auson. grat. act. Jul. ad fin. *quae bona praestas, efficis ne caduca sint, quae mala adimis, prospicis ne possint esse recidiva; bella recidiva* apud Sil. Ital. 10, 257; vide Heinsium ad Sil. Ital. 1, 106. Jam *ense* pertinebit ad *recidit,* et modum indicabit, quo malum recidat. Sed in hoc ipso inest tamen aliquid, quod nullum meliorem vel scriptorem vel poëtam dixisse arbitrer. Lib. 1, 367:

Humanis manibus non sufficit usus inermis,
Si non sint aliae, ferrea tela manus.

Miror admodum, quod nemo interpretum in his verbis, quae difficillima sunt, offendit. Cujus enim rei usus dicitur, qui non sufficiat hominum manibus? Nescio equidem, quod suppleri possit, nisi *manuum.* Simile quodammodo Virgilianum (Aen. 2, 453) *pervius usus tectorum inter se Priami.* Sed vide etiam, quae insequuntur, in quibus, priusquam explices, sublata prava interpunctione, quae vulgo adhibetur, virgulam pone post *aliae,* ita ut jungas *ferrea tela manus.* Aliter enim inepta sententia effici videtur *). Hoc autem in verbis illis inest, *si non aliae* i. e. *alio*

---

*) Interpungunt enim ita, ut virgulis includant *ferrea tela.* Jam manum dici putant quodvis instrumentum, quo quid efficiatur. Quibus autem instrumenta illa, quae manus appellantur? Sine dubio manibus

modo instructae manus sint, ferrea tela esse manus. Lib. 1, 415:

Laetior hic nostras crebrescit fama per aures.

Crebrescendi verbum est Virgilianum, usurpatum deinde ab Tacito. Novavit hoc Namatianus, quod ei, cum nude poni soleret, addidit *per aures,* qua in re, si accurate cogites, adeo incommodi quiddam inest. Addi poterat *per urbem* vel *per regionem;* sed ad aures pervenit fama; in auribus enim non loquuntur homines. Lib. 1, 435:

Haec ponti brevitas auxit mendacia famae.
Armentale ferunt quippe natasse pecus
Tempore, Cyrnaeas quo primum venit in oras
Forte secuta vagum femina Corsa bovem.

Si fabulam hanc, quam plenius explicant Isid. Orig. 14, 6, Eustath. ad Dionys. Perieget. 458, comparas, vides poëtam, cui eam non ignotam fuisse ex ipsius verbis apparet, debuisse dicere, eo tempore, quo bos venisset in Corsicam, etiam feminam Corsam eo transisse, vel potius (nam tota ista conjunctio *eo tempore, quo* non apta, quia Corsa ad bovem recuperandum secuta est), cum bos transisset, secutam esse feminam. Porro cum constet eundem fuisse bovem, qui transisset in Corsicam et quem Corsa sequeretur, poëta sic dixit, ut, nisi fabulam nosses, duos boves fuisse crederes. Denique adnota *natandi* verbum tam miro modo positum *), ut similem locum fortasse nullum inveneris. Insignis hic locus est, unde laboriosam gravitatem Namatiani cognoscas, in quo videare tibi animadvertere ipsas lituras, quae poëtam vexarunt. Lib. 1, 487:

---

humanis, quibus usus inermis non sufficit. Mire sane Namatianus dixisset, si manibus manus dedisset. Wernsdorfius habet ille quidem pravam illam interpunctionem, sed non explicat.

*) Nescio equidem locum, ubi ei accusativus additus sit; nam apud Martialem Ep. 14, 196 ambigitur in lectione. Sed posse nolim negare, quia passive usurpatur. Vid. Ovid. Trist. 5, 2, 25; id. de art. amand. 1, 48; Mart. 4, 29; 3. At vel sic natare non idem quod tranare.

> Rimetur solitus naturae expendere causas,
> Inque pari dispar fomite quaerat opus.

Meliores cum poëtae tum scriptores dixissent *rerum causas*. Vide Ovid. Met. 15, 67; Nemes. Eclog. 1, 35. Ea enim, quae fiunt in natura, res sunt rerumque causas expendunt physici, naturae philosophi. — Lib. 1, 532:

> Contignum stupui portum, quem fama frequentat
> Pisarum emporio divitiisque maris

i. e. fama frequentat locum eo, quod sit emporium Pisarum et divitias maris habeat. Vides quam contorta sit oratio. Interpretes nihil sentiunt, quod *emporium* de mercatura explicant; sed falluntur; ea enim notio nunquam in hac voce inest. Si quis corrigere velit, id quod non concesserim, scribi possit *imperio*. Pisis enim illa aetate magna classis stationem videtur habuisse, nec multo ante expeditio contra Gildonem ibi parata fuerat. Cf. Claud. bell. Gild. 483. Habes exempla aliquot, quibus similia et supra variis locis attulimus et alia non pauca invenire poteris, unde satis hoc, quod dixi, apparet, Namatianum, quamvis vellet, non potuisse amplius bene dicere, sed insigne esse documentum melioris consuetudinis cum deteriore pugnantis, interdum vincentis, saepius victae. Accedunt enim etiam vocabula multa ex sermone, qui tum vulgaris erat, recepta. Sic Namatianus *collegam* dixit senatorem *), *aggerem* viam publicam **) (1, 139), *crepuscula* de diluculo ***) (1, 378), *navigium* de navigatione (1, 541), *praedecessorem* de decessore (1, 474), *lucem* denique de oculo (1,

---

*) Vide supra hac ipsa paragrapho.

**) Sidonius Apollinaris saepe hoc vocabulum habet, vide Epp. 4, 24; 5, 1; 9, 3; Carm. 24, 5; 5, 217. Qui proprie agger sit, docet Serv. ad Virg. Aen. 5, 273.

***) Verum enim est, quod de hac voce praecipit Serv. ad Virg. Aen. 2, 268. Quamquam inferior latinitas non raro peccat. Vide praeter Avien. Prognost. 115, quem locum Wernsdorfius affert, Symmach. Epp. 1, 13; Sid. Apoll. Epp. 8, 3.

166), id quod prorsus insolitum; *insinuare* posuit de tradendo per sermonem *) (1, 590), *praeludere* junxit accusativo **) (1, 257). Neque accuratior est in pronominibus. Vide 1, 276:

Ut bonus esse velit, quisque disertus erit.

Similes locos, ubi *quisque* pro *quicunque* positum est, inveniuntur apud Auson. sept. sapient. in Pittaco 5; ibid. in Cleobul. 5; Sid. Apoll. Epp. 4, 11 extr.; ib. Carm. 22, 9. Porro 1, 394:

Nec pueros omnes credere posse reor,

quod etiam insolentius nec novi similia exempla. Dicendum erat *nec ullum puerum* vel *ne ullum quidem puerum*. Possessivum denique pronomen nonnunquam posuit pro demonstrativo; cf. 1, 390 et 554. Quare non dubito, quin etiam lib. 1, 536, ubi haec verba sunt:

Sed procera suo praetexitur alga profundo,

pronomen *suus* ad portum Triturritae, de quo antea sermo fuerat, referendum sit. Vulgo dicunt algam eo ipso loco, ubi nata sit, etiam praetexi; itaque recte profundum ejus quasi proprium vocari. Offendit tamen me nescio quid in hac explicatione; certe non opus erat, ut poëta hoc, quod ubique fit, diceret.

---

*) Manavit hoc verbum in communem usum ab Ictis. Symmachus saepissime habet.

**) Optimus usus hujus verbi est, ut cum praepositione *ad* jungatur (Virg. Aen. 12, 104). Minus bonus est dativus (Senec. Epp. 102; Stat Silv. I. prooem.; Claud. VI. cons. Hon. 68); postrema demum latinitas accusativum addit; cf. Avien. descript. orb. 1366. Adnotandum etiam est, quod Namatianus 1, 313 dixit: *necdum decessis pelago permittimur umbris.* Dissimile est Ciceronianum (Epp. 16, 21, 2) *cum omnia mea causa velles mihi successa;* cf. Plaut. Pseudol. prolog. 8; etiam Symmach. Epp. 4, 19 extr. *successi imperii* differt aliquantum. Similiora sunt apud Plaut. Epid 1, 2, 41 *sol occasus;* Sid. Apoll. Epp. 2, 10 *ut Latiarem linguam brevi abolitam defleamus interitamque;* Gell. N. A. 15, 21 *oppugnatione desita.*

XXXIV.

Quae cum ita essent, factum est, ut Namatiani carmen squaleat fere emendationibus et conjecturis virorum doctorum, quos non mirum est, ubi insoliti quid invenirent, quod saepe ne tota quidem latinitate perquisita explicare possent, ad egregium illud remedium confugisse, ut ipsum poëtam, cujus quid esset proprium, non intelligerent, corrigere conarentur. Accessit, quod in hoc, tamquam in vili capite, tuto ingenium exerceri et quid valeat quisque conjectando, experimento probari posse putabant. Neque recentioribus temporibus moderatio adhibita est. Cum enim deessent codices, unde omnis disceptatio auctoritate dirimi posset, quoniam suum cuique placebat, quae editiones veteres haberent, parum servata sunt. Quod ut appareat, recenseamus nonnullos locos, in quibus etiam Wernsdorfii editio, quae alias vetera tueri solet, hoc modo errasse videatur. Lib. 1, 83 haec vulgo verba sunt:

Quid simile? Assyriis connectere contigit arva,
Medi finitimos cum domuere suos.

Editiones veteres habent *arma;* Burmannus conjecit *arva,* quod nescio cur receptum sit a Wernsdorfio. Poëta enim ipse, cum Romani gentes subjectas etiam jure conjungerent, caeterorum populorum hoc fuisse proprium narrat, ut armis tantum vincerent, non jure vincirent. Quare apparet, hos optime posse dici connexuisse arma i. e. multos undique coëgisse milites; arva connexuere etiam Romani. Interrogationis autem signum colloca post *Assyriis.* Claud. de Stilich. 3, 163 *sic Medus ademit Assyrio Medoque tulit moderamina Perses. Subjecit Macedo Persen, cessurus et ipse Romanis.* Itaque locum sic restitue:

Quid simile Assyriis? Connectere contigit arma,
Medi finitimos cum domuere suos.

Fuerunt etiam, qui corrigerent *Medis.* Sed non raro subjectum enuntiati primarii in secundarium transfertur, idque

Namatianus, qui saepius facit, adeo adamasse videtur, cf. 1, 433. — Lib. 1, 338:

Tangimus Umbronem; non est ignobile flumen,
Quod tuto trepidas excipit ore rates.

Nescio cur Wernsdorfius ediderit *toto*. In iis enim, quae sequuntur, non invenio causam, quam inesse putavit. Expressit autem poëta idem, quod Plin. hist. nat. 3, 5 dicit, Umbronem navigiorum capacem esse, contrariumque supra 1, 279 in Minione vadoso notaverat. Accedit, quod in Burmanniana editione, cujus auctoritate Wernsdorfius maxime nititur, mero operarum errore *toto* legi videtur; explicatur enim *tuto*. — Lib. 1, 371:

Laxatum cohibet vicina Falesia cursum.

Sic vulgo legitur ex emendatione Castalionis, explicatque Wernsdorfius de cursu, quem laxiorem longioremque instituissent. Editiones veteres habent *lassatum* i. e. fessum, fatigatum, quod sine dubio restituendum est. Poëta enim, qui v. 349 dixit remis, non vento se processisse, tunc remiges fessos fuisse indicat. — Lib. 1, 412:

Ruderibus latis tecta sepulta jacent.

Recentiores editiones Wernsdorfii et Dammii habent *late*, quae vana emendatio. Saepe enim latum vocatur, quod late patet, ut Horat. Epp. 1, 2, 20 *latumque per aequor* i. e. *effusum late mare* (ibid. 1, 11, 26), simillimusque locus Virg. Aen. 8, 8 *undique cogunt auxilia et latos vastant cultoribus agros.* — Lib. 1, 555:

Exiguus regum rectores cespes habebat,
Et Cincinnatos jugera pauca dabant etc.

Sitzmannus correxit *rerum rectores*, idque omnes interpretes arripuerunt, quod Romani rerum domini vocari solerent. At, quamvis in hos, in Fabricium tamen et Serranum et Cincinnatum hoc nomen non convenit. Servanda omnino est vetus lectio. Claud. IV. cons. Hon. 413 *pauper erat Curius, cum reges vinceret armis, pauper Fabricius, cum*

Pyrrhi vinceret aurum; id. in Ruf. 1, 200 *contentus honesto Fabricius parvo spernebat munera regum.* Itaque regum rectores sunt regum victores. — Addo in fine locum, quem Wernsdorfius non recte videtur emendasse. Etenim lib. 1, 377 scribit:

Egressi villam petimus ludoque vacamus.

In antiquissimis editionibus est: *petimusque lutoque vagamur,* quod cum plerique emendandum esse sentirent, Wernsdorfius mirifice sibi blanditur, quod, quae sola vera sit lectio, invenerit. Namatianum enim putat, cum festa Osiridis esse forte audisset, ut interesse posset ludis agrestibus, appulisse Falesiam. Quid igitur aptius esse, quam dici eum ludos rusticorum pagorum spectasse? At nec ideo appulerat, quod dies festos esse audisset (nam egressus demum casu quodam tunc esse comperit), et *ludo vacare* valeret potius se ipsum dare ludo, quam spectare ludos. Quare accipiendum esse censeo, quod Dempsterus in Etrur. regal. 4, 12 et Burmannus voluerunt, *petimus lucoque vagamur.* Lucum enim, cui nomen Vetletta, etiam hodie prope stagna, quae statim poëta laudat, esse testatur Cluver. Ital. antiq. p. 472, unde simul patet villam, quam Namatianus dicit, esse Vetulonios, principem priscis temporibus Etruriae urbem, tunc vero, ut erat maxima pars orae maritimae, vastatam et in pagum exiguum coartatam. Aptissime jam convenient etiam querelae Judaei, de quibus mox (v. 385) poëta dicit, ambulando vexatos esse frutices.

Et haec quidem exempla sunt, in quibus vituperem viros doctos, quod nimis cupide emendaverint. Verumtamen, ut fit in talibus rebus, et ipse mihi invenisse videor paucos quosdam locos, quos silentio praetermissos ab interpretibus necessario conjectura sanandos esse putem. Lib. 1, 83 haec leguntur:

Electum pelagus, quoniam terrena viarum
Plana madent fluviis, cautibus alta rigent.

Si cohaerentia sententiae consideratur, apparet his respon-

dere, quae paulo post sunt, *non silvas domibus, non flumina ponte coërcet.* Quas igitur uno loco poëta *cautes* dixit, altero nominavit *silvas?* Porro cautes non solent colendo amoveri, sed solent silvae. Quare non dubito, quin scribendum sit *saltibus*, quibus alta rigere aeque bene dicuntur. Cf. Ovid. Met. 11, 150; Virg. Eclog. 6, 28. — Lib. 1, 461:

> Ut praebente algam densi symplegade limi
> Servet inoffensas semita clara notas.

Sic in omnibus editionibus legitur. Miror tamen, qui interpretes *symplegadis* vocem silentio praetermiserint, cum interpretari fere nequeant. Symplegades enim cum sint proprie insulae duae contra Bosporum Thracium, eaedem Cyaneae dictae, quas fabula erat inter se concurrere (Plin. hist. nat. 4, 13, 27; Mela 2, 7), poëtae transtulerunt ad partem quandam corporis humani; vide Martial. 11, 99, 5; Auson. Epigr. 108, 9. Sed alium usum hujus vocabuli ignoro. Itaque scribendum esse censeo *symplegmate*, quod satis aptum videtur. Plinio enim (hist. nat. 36, 5 et 6 et 10) cum sit complexio complicatarum quodammodo figurarum, Martialis ad concubitum transtulit (Epigr. 12, 43, 8) similique modo Arnob. 7 p. 239. Hic igitur limus coacervatus et conglomeratus coire quasi secum et algam gignere dicitur. — Lib 1, 545:

> Nec magis efficiet similem pictura colorem,
> Quam quae de meritis mixta figura venit.

Tacent caeteri interpretes; Wernsdorfius sic explicat: „pictura non magis similem effigiem per colores efficiet." At color non est effigies per colores effecta. Color igitur virtuti similis est, id quod vereor, ne dici nequeat. Quem porro colorem pictura sibi efficiat, nescio, nisi hunc, quem miscendo pictor sibi parat. Emenda igitur *colore.* Pictura colore, homo meritis imaginem virtutis efficiunt, ita ut haec tamen potior sit illa. — Lib. 1, 609:

> Harpyias, quarum decerpitur unguibus orbis.